

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
11 A
1

opera Jacobi balecambegiu
de peste

DE PES
BRI TR



OPERA I c
BI DALECHA
DOCTORIS ME
CADOMENSI
IN LVCEM
AEDITI.




IN VIRTVTE




T FORTVNA.


LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium.
M. D. LII.





IACOBO À TVR- NONE EPISCOPO Valentiæ Allobrogũ, mœcenati suo, Iacobus Dalechampius Medicus S.P.D.







Os tres de peste libros Raimũdus à Vinario scripsit, mœcenas optime: vir certè sua tempestate summus medicus, philosophus excellẽs, disciplinísque mathematicis apprimè doctus. Scripsit autem, quod tantum licebat suo seculo, cum bonæ literæ iacerent, inepta, rudi & bar-

bara prorsus oratione, in qua tamē diuinum ipsius ingeniū sic eluceat, vt quēadmodum Vergilius de versibus Ennij dicere solebat, ex hoc stercore purum colligi aurū posſit. Fuit is quidem maximorum ordine triū pontificum dum Auenione consisterent, medicus primarius, quæ hominis autoritas & dignitas, in qua tū existimatione foret, satis ostendit. Hos libros cum Gulielmus Lotherius clarus Monpessuli chirurgus, legendos mihi dedisset, vt meum de illis iudiciū explicarem, quotidianam operam, qua id temporis Galeni libros de crisibus exponebam publicè, intermittendam censui, vt hic meo labore scriptor in manus hominum perueniret: Qua in re non tantum oratio mutanda fuit, vt pro

incul

inculta illa, & horrida, aliquanto ſplendidior ac nitidior in vulgus prodiret, ſed & reponenda vel potius diuinanda multa quæ in exemplari vetuſto & carioſo vix legebãtur: ad noſtrum dicendi vſum accommodanda multa, quæ pro Arabum conſuetudine inaudita nobis ille vſurpauerat: euoluendæ quæſtiones, quas vt in ſcholis didicerat, arduas & obſcuras, impediebat verius, quàm expediebat: quæ à me perfecta ſunt omnia non ſine magna difficultate, longóque tædio. Hunc verò laborem meum, & ſtudiorum in quibus tua liberalitate hactenus perduraui, quaſi primos fructus, qualemcunque apud bonos & doctos gratiam habituri ſint, tibi dico, ac nuncupo: auſpiciiſque tuis emit-

to. Non ideò tantùm quòd obseruantiam erga te meam hoc officio declaratam velim: sed quòd nullus ordinis tui, vel amplioris etiam occurrat: siue nobilitatē spectes, ab vltima repetitam memoria: siue naturæ bonitatem: siue morum humanitatem, & sanctitatem: siue profusam in doctos beneficentiā: siue eruditionē, sub cuius nomine reuiuiscat autor hic lubētius.

Vale.





D. GABRIELI SYLVIO DOCTOri medico nobilißimo, Iacobus Dalechãpius Doctor medicus.

S. P. D.



Icatos iam Episcopo Valentino de peste libros ornãdos quoq; tuo nomine putaui, Doctor clarissime, tum quòd humanitas summa, qua me nõ antea visum domi excepisti, hanc animi grati significatio-

nem repoſcit:tum quòd arctiſ-
ſima tua cum iis neceſsitas &
coniunctio qui exemplar mihi
dederunt,mentionem de te flá
gitat: tum etiam quòd gratiæ
multum acceſſurum & autori-
tatis prouideo,ſi nomen tuum
operam meam commendet,
præſertim cum is ſis qui facile
inter medicos Lugdunenſes,
& eruditione,& rerũ vſu prin-
cipem locum obtineas. Hac ve
ro nuncupatione tuis auribus
quæ vanas laudatiões reſpuũt,
quidquam à me datum fuiſſe,
ne quis exiſtimato: laudi po-
tius meæ hoc conſilio fauerim.
Cæterum cũ magni quidquid
agas,vel inceptes, momẽti ſit,
quod inquit Horatius, princi-
pib

pibus viris placuiſſe, ſperaui hoc opuſculum futurum gratius,ac cupidius lectum iri,ſi tibi probatum fuiſſe, ex epiſtola cognoſcerent, qui huiuſmodi tractationibus oblectãtur. Nostro quidẽ ſeculo multos,quorum nomen taceo, in eodem verſatos argumẽto fuiſſe,haud neſcio: Extare quoque Guidonis librum de Peſte,qui tamen nondũ ſit æditus,ipſe retuliſti: Hodie ſanè multi florent ingenio præſtanti: Verùm ſi vniuerſos quotquot circũferuntur de hac re libros,cum hoc attentè compares, vt iudicio plurimũ vales, iudicabis certè, adhuc nullũ prodiiſſe,à quo tam eleganter & copioſe,de hoc malo


disputatum sit:id quod solum de autore apud te dixero, qui clarius & melius omnia vides, quàm ego vel notare, vel monere possim. Si quid autẽ mihi peccatum est, quod intempestiue grauissimas occupationes hoc munere tuas interpellauerim, aut pro tua æquitate mihi veniam hanc dato, quam, vt confido, non denegabis: aut facilitatem potius tuam & accusato, & contrahito, quæ hærentem ac cunctabundum me non tantum inuitauit, sed etiã perpulit, id apud te vt auderẽ.

Vale.





De caussis pestis. CAP. I.



ESTIS *caussas, medici ueteres non omnes asse=cuti sunt: uel quia non tam crebrò illorum tempestate, hoc malum sæ=uiebat, uel quia prorsus rationem earum nesciuerunt. unde fit, ut ignotis caußis, morbus is adhuc ignoratus uix à nobis cu retur: Veteribus quidem pestis natura haud prorsus incognita fuit, sed nondum tam comperta, & explicata, ut ea cogni=tio ad curationem instituendam suffice=ret. Atrocis igitur mali huius, triplex ori=go est, prima cœli, & syderum grauis aßpiratio: altera ex terris sublatus nocens uapor, tertia, composita simul utraq;. Ta=metsi uerò Philosophi putent, nil in terris*

accid

accidere, quod cœli ac ſyderum ui, non fuerit excitatum: id tamen non tam anxiè medicus æſtimat. Qui ſyderum affluxu & cœli uitioſa conſtitutione morbi naſcuntur, Græcis ſunt ἐπιδημικοὶ: qui terrarum halitu, ac utriuſque item cauſſæ præſentiâ, multis lethales & nobis pariter, & Græcis peſtes. Cœlum id nobis malum afflat, uel dum conueniunt infenſa generi hominum ſydera, uel dum micant ſtellæ, Cometæ uiſuntur, ardẽtes faces per inane uolant. Sic enim uitiato aëre, corruptisq; frugibus, & animantibus, quibus ueſcimur, humores in noſtro corpore deprauantur, ac uel multitudine, uel qualitate, uel utroque nomine ſimul graues, peſtem inducunt. Aëris igitur uitium, morbi huius cauſa eſt externa, quam primitiuam dicere ſolemus: labes uerò quæ in noſtri corporis humores tranſijt, interna, uel antecedens. hæc autem clariora meo iudicio futura ſunt, ſi peſtis, quæ noſtro æuo, annis

nis uarijs graſſata eſt, hiſtoriam adſcri=
pſero. Præceßit eam quæ fuit multò cala=
mitoſißima, Saturni, Martis, Iouis concur
ſus ad decimum nonum gradum Aquarij,
menſe Martio, anno milleſimo treceteſi=
mo quadrageſimo quinto. Id uerò ex A=
ſtrologorum obſeruatione regnorum euer
ſiones, interitus multorum, mirandas ua=
tum prædictiones, innumerasq; alias mi=
ſerias denũtiabat hominibus inſtantes, ac
diuturnas futuras, quoniam ſydera in hu=
mano, & immobili ſigno conueniſſent.
Inde ſcilicet prodierunt tot peſtes, quæ ua
rijs temporibus ædiderunt tantam homi=
num ſtragem, maxime anno poſt tertio,
pontificatus Clementis ſexti anno ſexto.
Sic enim & illa ſyderum coitione, & quæ
ſucceßit peſtilentia, corporum noſtro=
rum uis exoluta eſt, ſic aër, elemẽta, & ex
elementis compoſita, ſunt affecta, ut uel
leuiuſcula cauſſa, quemadmodũ ſolis defe
ctu, ſyderum infauſto conuentu, cometa=

rum

rum ortu, pestis quæ uidebatur extincta, repullulauerit. Id nempe uitij, cum semel in aëre, elementis, ac genitis rebus, fuerit acceptum, & impressum, licet aduersis caussis, ut frigore, imbribus, fausto syderum conspectu, sic interdum cohibeatur, sese ut non prodat per aliquod tempus, rediuiuum tamen fit ex occasione facili: sicut rerum species, in memoria condita, nobis dormientibus, aut alibi occupatis, non succurrit: cùm uerò id agimus, & cogitamus: sese statim offert, ac obtrudit. Nec uerò tuti ab huius mali recursu fuerimus, prius quàm uitium quod aërem, elementa, & ex ijs genita omnia peruasit, læta, & æque potenti astrorum cõcordia, obliteretur: quod futurum est, anno octogesimo quinto, mense Aprili, cùm Saturnus, & Iuppiter, Saturno ualidior, ad Geminos diuersabuntur. Extitit & alia pestis, anno 1361. iam octauum annum, pontifice Innocentio sexto, quæ & illis supradi

prædictis cauſsis emerſit & triſti præterea ſyderum conuerſione, quoniam Saturnus apud Virginem, ſignum Septemtrionale, ubi prorſus inglorius eſt, reſtitit: Mars apud Geminos, ſignum Occidentis, ubi nulla pollet autoritate, ibidem Mars Saturno fuit obiectus ex aduerſo, quod ſupra triginta annos non euenerat. Id autem cùm accidit, magnum exitium mortalibus portendit. Excepit hanc alia, anno 1373. pontificatus Gregorij undecimi, anno tertio, cum anno ſuperiore, apud Taurum, Mars & Iuppiter unà fuiſſent. Secuta quarta, anno 1382. pontificatus Clementis ſeptimi, anno quarto, cum anno ſuperiore, in exorientis Leonis gradu uigeſimo, tertio die Ianuarij, hora ſecunda, Marti Iupiter factus eſſet obuius, eo denique anno, Cometes horrendus, toto pene menſe Nouembri, quantum oculis iudicare licebat, ulnarum uiginti, Trabem Aſtrologi uocant, ſeſe oſtendiſſet: magna

si ipsis credendum, internecionis, bellorum, ærumnarum significatione. Horis duabus, ante lucem, ille coruscabat, recta sub Libra & capite Draconis, longitudinis tam exporrectæ, ut capite sub Scorpione sito, ad Virginis usque locum, caudam extenderet: quanquam nec delineatum caput, nec expressa cauda foret totus igneus, æquabiliter, & latus & crassus sub Virgine Marti adiunctus, lactea uia proxime Libram & Scorpium iacens, ad tres angulos mundi; Septemtrionem, Occidentem, Meridiem, inclinatus: qui quàm grauia mala promitteret, si uis intelligere, ex Ptolomæo, Haly, & Albumazar, ne ijs recensendis sim longior, colligito. Anno etiam sequente, toto mense Augusto, & Septembri, uolauit Draco longißimus, stellæ frequẽter elisæ sunt, puniceum ac rubrum cœlũ, ampla uoragine hiauit, Cometes diebus uiginti, abeunte die, horis duabus, & paulò diutius sub Scorpione,

ad

ad Occidentem fulsit, indeq; traiecit ad Orietem, uia lactea, proximè sydera, quæ affixa minimè uagantur, & Martis naturæ similia sunt, delatus, cum Mars, & Mercurius antea congressi fuissent, rixas nimirum inter opifices, ac seditiones, tumultuosas ille minabatur, grauidis abortus, uesicæ, costarum, ac testium, cruciatus, ijs præsertim oris, quæ illius caudæ, ac signis, in quibus rutilauit, subiectæ fuerũt, nempe Occidenti, ac Septemtrioni. Iam inde sanguis, bilisq; supra modum incalescens efferbuit, deflagrauit, putruit, uitiũ, ac uenenum contraxit: annus totus siccus fuit, squalidus, nullo imbre salutaris: maxima uis bilis retorridæ aceruata: morbi plerique, omnes biliosi, melancholici, quod contingere per eiusmodi tempestatem Hippocrates monuit. Aphor. 7. libr. 2. Ea lues, cuius postremo feci mentionẽ, Auenione primum gliscens, peruagata est Allobrogas, Italiam, Græciã, Germaniã,

Britāniā Galliā, Hispaniā, Celtiberiā, uniuersasq́; Orientis, & Occidētis nationes, *alicubi mitior, alicubi dira, prout magis, minúsue hominum corpora, malo patebant.* Porrò, *quam esse primam caussam diximus, eam* Auenzoar *duplicem intellexit:* Alteram, *solius optimi maximi consilium, nullis ad id paratis caußis, ex cœlorum & syderum ambitu, & statu, ut cum* Dauidis *facinus, & libidinē, in* Hebræo*rum gente uindicauit, ac* Aegyptiorum *peruicaciam, interitu filiorum, qui natu forent maximi, ultus est:* Alteram *uerò, syderum cōgreßiones, Cometarumq́;, lampadum, & reliquarum huiusmodi flammarum, accensiones.* Id *ipsum est, quod* Aristoteles *innuebat, libro de caußis proprietatum elementorum, cùm scriberet, coïtione* Iouis & Saturni, *Regum principatus oppressos iri, arsuramq́; pestilentiam: quanquam hoc* Aristotelis *dictum,* Meßias Halias, *sic uerum esse putet, si* Iupiter

piter Saturno cesserit, ac impar fuerit, contrà euenire, si Iuppiter Saturnum uicerit. Iouem enim haberi, tam & uitalem, & salutarem, ut Iulio Firmino, eius beneuolentia in lucem ædamur, mox perituri, ea si nos deserat. Idem ipsum uoluerũt, & Albertus magnus, & Albumazar Ioue, & Marte conuenientibus, præsertim ad humidorum signorum quodpiam, ut prima illa superius descripta concursione, acciderat, pestilentiã futuram. Ignium uerò cœlestium uisa huc pertinere, Auicen. cap. de pestilente febre, testatus est. Hactenus de superioribus caußis. Ex inferioribus est, quæ in tota regione, molesta sit, est quæ in unico tantùm oppido, unica ciuitate, priuatis, & unis ædibus. Priorem afferũt lacus, paludes, stagnantium aquarum mephitis, cloacarum, & latrinarum colluuies, quæ aërem uitiat, ut in Sardinia, ac locis maritimis: facto prælio, insepultorum cadauerum fœtor, aßiduus

imber, perennis Auſtri flatus, ut olim Cra none: uentus è peſtilenti loco ſpirans, quod prouidit Hippocr. Athenienſibus imminere, admirandaq; ſapientia depulit. Poſteriorem excitant luti, ac cœni, quæ uijs publicis aggeruntur, ut Auenione, & Lutetiæ. Olerum, ut Braßicæ & Erucæ: arborum, præſertim quæ ſucco uiſcido turgent, ut Nucis & Ficus putreſcẽtium: lini, cannabis, coriorum, quæ fluentis macerantur, graueolentia. Solæ uerò priuatorum ædes, eam ſentiunt, cum latrinis. ac ſepulchretis, uicinæ fuerint: ſi occiſi cadauer in illis occultũ putreſcat: ſi adeat, qui in peſtilenti loco uerſatus eſt: ſi bibitur aqua, ut Auenzoar prodidit, in quã proiectum cadauer tabuerit. Sic Auenione peſtis crebro irrepſit, ſic paludoſas regiones ubi pingue, ac concretum cœlum eſt, occupauit ſæpe, tametſi & cœlo imputari id poßit, quoniam ut à ſua cauſſa effectus nunquam diuellitur, ſic & quæ apud

homi

homines contingunt, ea fere semper ui, & cœlorum & syderum inuehuntur. Superiores caussas, medici ueteres neglexerunt omnes, præter Auicennam: qui tamen eas leuiter admodum & perfunctoriè attigit, quia parum Astrologiæ studiosi, parum illam facere ad instituendum medicum existimarunt, ut ex Galeni scriptis uidere est, qui uerbum illud Hippocratis, è primo Prognostici, oportere medicum in morbis, noscere quod diuinum est, contra eius mentem, ad cœli, & aëris constitutionem detorsit. Quod si huius rei non prorsus ignaros ueteres contendat aliquis, ego equidem nec ualde repugnauero, dum item mihi concedat, qualis foret syderum, uel æquitas, uel iniquitas, morborum natura, ipsos admonitos, longius rem non euoluisse, altius non repetiuisse, curiosius non indagasse, eo contentos quod quibus subueniendum foret auxilijs, tenerent.



Quonam pacto suis ex causis pestis oriatur. CAP. II.

Constat ex Aristotelis, ac Ptolemæi scriptis, quæ & procreātur, & occidunt corpora uniuersa, ui cœlestium, ac sempiternorum, gubernari: hanc uerò legem nostris animis impositam non esse, quanquam pro natura corporum in quibus habitant, ad alia atque alia studia sese magis applicent, minimè uerò cogantur inuiti: & quemadmodum legibus Respublica suis continetur, sic & omnia cœlorum motu, luce, affluxu, regi, & administrari. Ac quoniam articulo temporis luce omnia collustrantur, temporis momento, nobiscum cœlorum uis, quæ in luce est, communicatur: quæ uerò in motu est, non nisi spatio temporis, sed incerto: quoniam celerius hi, illi tardius cœlorum orbes circumaguntur. Cæterùm affluxus potestas, statis, ac præfinitis temporibus, sese nobis accommodat, nimirum cùm signis

quibusdam, sydera se certis admouerint. Affluxum, qui hasce res tractant, nominarunt syderum unicuique tributam uim peculiarẽ, ab eo qui summæ rerũ præest, qualis est Magnetis cùm ferrum trahit, Electri cùm aceres. Formam specificam alij uocare malunt. Ea est cõueniens aptitudo, eius quod afficit, cum eo quod afficitur, ut commode & facile alterum suam uim exerat, alterum excipiat. Hoc affluxu sydera potißimum ualent, & apud nos mutant omnia. Ea est, si Albumazari fidem habemus, præcipua & insignis potestas syderum. Nec uerò credendum infestorum syderum luce, pestem nasci, quoniam enim perpetuò lux allabitur, & repente, ut supra dictum, subita & perpetua foret pestis, eamq; præsentiorem inducerent lucidiora sydera, Sol, Venus, Iuppiter, Luna: quod Astrologi nunquam donauerint. Lucidiora enim sydera, præter cætera, nil egregium habent, nisi quod

magis calfaciunt, quod uidit Auicen. libr. 1. cap. de conditione tempestatũ, quo in loco ait, plus ibi caloris esse, ubi plus est luminis. Proinde syderum luci potius acceptam referemus uitæ nostræ usurã, quàm mortis exitium. Sed & nec caussari licet, in ratione pestis, circuitus syderũ. quoniã cùm nunquam cessent, ut suprà colligebamus, ea perpetuò nos urgeret, & contrà quàm res est, ab ijs quæ ocyus uoluuntur circa nos, Mercurio, Luna, Venere potius immitteretur. Restãt qualitates primæ, ut frigus, calor, humor, siccitas: secũdæ à primis effectæ, ut leuitas, grauitas & huiusmodi cæteræ, ad quas cõfugere poßimus: Verùm his qualitatibus, nullus istìc locus est: cùm in syderibus & cœlo, nullas esse 1. de cœlo Aristot. tradat. Nec magis probabile est, quod quidam excogitarunt, Saturni & Iouis, & Martis cõcursu aërem incalescere, pariter & humores nostri corporis, qui tandẽ urantur ac deflagrẽt.
Cùm

Cùm enim Iuppiter calidus & humidus, Saturnus frigidus, ac siccus potestate sit, alterius calorem, alterius frigiditate leniri oportuit, ut Martis siccitatẽ, Iouis humore, sicut & augeri calorẽ nostri corporis amborum caliditate, auctum uerò cõstantius putredini resistere, ac reluctari ex Aristotelis disciplina, quarto τῶν μετεωρολογικῶν. Adde & calidos morbos non esse protinus contagiosos, ac pestilentes, tametsi breuiores, & rapidiores. Absurdum itẽ est, quod alijs uenit in mentẽ, uel directis ad perpendiculũ, & ob id repercußis, uel obliquius incidentibus radijs syderum, hoc malum repræsentari. Iis enim sydera nos tantum calfaciunt, humectant, siccant, refrigerant: Auicenna teste libr. 1. cap. de conditione tempestatum. Eius solius autoritas, satis fuerit explodẽdæ huic sententiæ, ut insuper tamen rationibus conuincatur necessarijs, æstimẽt, ac reputent secum illius propugnatores, ijs ra-

dijs, nunquam non terras feriri. Prætereà ſæpius ad angulum quartæ domus, ſub terris ſydera conuenire, unde ad nos radius nullus peruenit, aut ſi quis ad cœli uſque noſtri partem adigatur, languidus, ac debilis incumbit, quod oſtendit Sol, qui dum hyeme ſub Aegocerotis Tropico it, tam parum calfacit, ut frigore omnia rigeant, ac emoriantur, quanquam ea calfaciendi poteſtate is excellat. Taceo radios ſyderum, dum conueniunt, omnes eſſe rectos, quoniam occurſu recto, illorum conuentus fit: taceo Septemtrioni ſimul Orienti, ac Occidenti, Iouis, ac Martis in Tauro congreſſorum obliquos non fuiſſe radios, cùm tamen regionum earum incolas, ſecuta deinceps peſtis, æquè uexauerit. Non aliunde igitur peſtis increbeſcit, quàm ſyderum ui, ac peculiari poteſtate, ſeu mauis ſpecifica forma, qua ea ualent in corpora noſtra, noſtraq; uiciſsim corpora, uitiatis humoribus, &

craſ

craßis & tenuibus, tantam noxam conci= piũt. qua in re, & qui nos ambit aërẽ, ne= cessum est cõtaminari: plærunq; tamẽ sic tacito, & obscuro uitio, ut in nullo sensu nostro percipiatur. Quamobrẽ Arnaldus *rectè qui pecorũ luẽ, homines: et uicißim hominũ, pecus, nũquã inuadere cẽsuit.* Vis *hæc syderũ propria,* Magnetis *exẽplo li= quebit, ad se ferrũ ob id adducentis, quod trahẽti ferrũ obsequitur, à nullo uerò alio præter* Magnetẽ, *se duci tolerat, atq; id in teruallo certo, & cũ magnitudinis finitus modus est, ac qui locus est interpositus, ni hil incõmodat, sic & syderũ potestas, cer= ta tẽporis circũscriptione, certaq; locorũ distãtia, & cùm aër, uelut cõiuratus, nihil obstiterit, corporibus non quibúsuis no= stris, sed alẽdo malo idoneis, hoc cõflat pe riculi.* Est *uerò ubi nihil mutatis aëre, ter= ris, aqua, syderũ uis hæc diffunditur, ut cũ in terræ uisceribus gẽmæ cõcrescũt, in lucẽ nos proferimur, animãtia pariũtur, stir=*

pes germinant. Platonis enim, ac Mesues iudicio, nihil usquam extat quod non sua proprietate, syderũ hæc uis donauerit, etiã si à sola natura, omniũ parẽte, nõ tantũ sit procreatum, sed & hominũ ingenio congestum, ac comparatum, ut theriaces antidotus. Obscurum interdum esse uitium aëris, sub pestis initia ac menses primos, hoc est argumento: quòd cum nec odore tetro grauis, nec turpi colore fœdatus fuerit, sed purus, tenuis, frigidus, qualis in mõtosis & asperis locis esse solet, & tranquillus, uehemẽtissima sit tamen pestilentia infestáque, præsertim humidißimis & huic malo obiectis corporibus, qualia puerorum sunt. Fallit aduentans hoc malum, nunc multis, nunc paucis cognitum: paucis, quo primum tempore inferiores causæ sese adiungunt superioribus, mẽse puta, uel tertio, uel quarto: tum enim uapor impurus ex aquis, & terra ui solis aliarúmque stellarum eductus, ac in aërẽ

subie

ſubiectus maleficia ſyderum excipit, quæ infauſtè conuenerunt, poſt aërem corrumpit, partim indito ſenſim ueneno, partim alienis turbatum qualitatibus. Cognoſcitur multis, ubi coniunctis antea uel Ioue & Marte, uel Saturno & Marte, uel Saturno, & Ioue, uel ſimul omnibus, ſol apparet decolor, craſsi halitus, & noxij, aërem inde fœtentem humectant, ac obſident, multíſque poſt diebus, in eo reſides, partim hauſti cum anima, partim ſpiraculis arteriarum, uenarum, cutis & ſi qua alia in corpore noſtro uia eſt, ad cor uſque inſinuati, eius ſpiritus corrumpunt: hac uidelicet ratione, ſuperiores cauſæ, & ſolæ per ſe, & inferiorum ope adiutæ, peſtem ſummitunt: quanquam & interdum primarum qualitatum, ac ſecundarum moderationem peruertant, qua cauſſa intolerabilis fit æſtus, rigor, humor, ſiccitas, inſolita cœli craſsities, tenebroſis ac denſis oppleta

co-

uaporibus: ratione omnibus Astrologis prodita, & Philosophis, qui è syderum coitione, cursibus, aspectu, situ, ad Zodiacum, orbésque suos & ἐπικύκλους, & ἐκκέντρικους rerũ euentus, & futuræ pestis sortes præsagiunt, ac prædicunt. Hactenus de causa externa, ad internam transeamus. Spiritus cordis, ut expositum supra fuit, uitioso aëre, tum quem inspiramus, tum qui furtim subijt, offensus, sua primum exuitur temperatione: malóque in naturalem, & animalem, serpente, ac sic paulatim augescente, humor cordis, unde spiritus materia præbetur, supra modum alieno, naturæq; minimè congruenti, & autore putredinis calore succenditur: Ideoque putrescens, postquam ardorem in corpus uniuersum disiecerit, febres pestiferas, mortiferáque tubercula gignit, quod paucis uerbis Auicennas alicubi perstrinxit. Postquam temperatio spirituum labefactata est, in humorémq;

putr

putredo recepta, uires omnes, instrumento quod commodum sit, priuatæ affligun tur, & ad officium languent: succi corporis efferantur: quod tenue in ipsis est discutitur: quod crassum & compactum, hæret, & restat: uenenum autem quouis perrumpens, cum in partes principes impetum fecerit, quoniam tantam molestiã ferre minime possunt, ab ijs in emissaria sua protruditur: illuc uerò compulsum, ac uelut inculcatũ, mora, & quia nihil perflatũr, deterius fit: aliósque subinde & alios humores deuocat, se non minus prauos, unde carbunculi, Herpetes, Phlegmonæ, Erysipelata, Gangrænæ fiant. Toti quidem corpori aduersa cum pestis sit, cordi tamen potissimum ea negotium exhibet, quasi corpus euicturam facile se confidat, arcis si potita fuerit, ut Mesues scripsit, & quia uitiosis qualitatibus, substantiaq; pestilens humor, inimicitias cum natura gerit, certamen id ad

multos etiam dies, cor sustinet, pro eius & prauitate, & copia, quoad uel eo grauatum in habitum corporis amandet, unde nigra, cærulea, uiridia, rubra, exanthemata paßim efflorescant: uel fatiscens manus det, uictúmque se fateatur, & æger obeat. Hæc origo est febrium, ac tuberculorum pestilentium, magna ex parte cuniculosorum, ex causis tum superioribus tum inferioribus, tum externis, tum internis, quam si nos diligentius, & accuratius perpendamus, horum morborum non esse desperatam curationem, quod & Ptolemæus quinto pronũciato sui centiloquij tradidit, intelligemus adhibita cautione, ut imminens contagio arceatur, & quando ut cœlum salubre, purúmque sit, præstare mortali non licet, data opera, ut si nondum malum inceßit, bona ualetudo conseruetur, ijs remedijs, quæ domi, procul ab hominum frequentia usurpare iuuat: sin iam corripuerit, promptis, & x=

lit

peditis auxilijs, antequàm humor uenenatus tumesiat, & prodierint tubercula, quod sæpius fit post triduum, uel quatriduum. Non *solum enim curationem omnem respuit pestis confirmata, sed cum aliquantulum processit, etiam contumacior est, ut Auicennas docuit cap. suo.*

Quæ sint præsentis & futuræ pestis signa. CAP. III.

V*T pestis caussæ uariæ sunt, ita & signa differētia. Ex inferioribus caussis, profecturam, ut quam descripserunt primo libro* Epidemiōn Hippocrates, & *Galenus libro de euchymia, & cacochymia, ac primo capite libri de differentijs febrium,* Gregorius *summus pontifex, aliquo ex suis operibus:* Auenzoar *in suo* Thesir, *promittit, anni totius calida & humida tempestas, austrina, pluuia, à uentis quieta, quoniam in omnibus naturis magnam ea putredinem efficit. Eius au-*

tem quæ ab inferioribus pariter, & superioribus fouetur, signa ut caussa multiplex est, multiplicia memorauerunt, Rasis quarto ad Almansorem, Auicennas libro quarto, Isaac libro quinto de febribus. Solius superioris caussæ signa sunt, errantium stellarum congreßiones: Cometarum exortus: ignium per cœlum, & flammarum accensiones, ijs in locis conspectæ, quæ pestis afflictura est: complurium eadem ciuitate eadem die, eodem tẽpore, ijsdem ædibus, inexpectatus, ac repentinus languor: in regionibus frigidis, altis, montosis, uentosis, flante Borea, sicco & frigido cœlo, ex peste multorum clades, incolumibus ijs, qui locis depreßis, à Borea tectis, & cœlo crasso, ac inerti habitant. Superiorum caussarum, hæc signa, propria sunt: cum alijs uero communia ea, quæ deinceps narrabimus. Exitiosius malum est sanguine abundantibus, pueris, carnosis, iuuenibus, temperatis,

quos innocentius ægrotaturos ſuſpica-mur: febres, ſeptimum uix excedunt diem, ſeruatis aut interemptis, ad id tempus, ægris, & plerunque eo ipſo quo corri-piuntur die, aut biduo, uel triduo poſt, ui-ta decedentibus, pro humoris uenenoſi prauitate & multitudine, paucitatéue, & corporum aut conſtántia aut fragilitate. Cum morbus tenet, ægri nuſquam poßũt conſiſtere: huc illuc in lectulo ſeſe dimo-uentes, ac impatienter diſcruciantes, uigi-lijs conficiuntur, uomunt, nauſeant, animo linquuntur: ut reliqua ſymptomata huiuſ-modi impræſens omittam. Quos malum adoritur, ijs citra uel purgationis uim, uel ſectionem uenæ, corpus laſſum torpe-ſcit, nec ſanguinis mißione, aut pharma-co leuatur, utroque potius remedio lan-gueſcens magis, ideoque ſtatim uinum ſi-bi dari ægri poſtulant: quibuſdam ſanguis expuitur, aut naribus, aluo, meiendo reij-citur, pernicie tam ſubita, ut perendie, aut

Symptomata pestis

poſtridie moriantur. Quidam, & ferè omnes deplorati, ſomnum tam altum dormiunt, ut is excuti nequeat: fœtent omnia purgamenta corporis, ſudor, aluus, ſputum, halitus: cæterum hæc in alijs quoque morbis adnotantur. Lotium nunc atrum redditur, & turbidum: nunc craſſum, & ſubrubens, cum ſedimento: nunc paucum, nunc multum, & turbatum utrumque: nunc limpidū & ſedimento conſpicuum, non aliter quàm in beneualentibus. Arteriarum pulſatio nunc obſcura, frequens, intercidens nunc plenior, & undoſa primum, deinde paulatim ad eum modum, quem Græci μηρμυκίζειν uocant, deſinens: ſudore manante, ſed quo uis corporis eneruetur, διαφορητικὸν ijdem Græci dicunt. Pueris, ac ſenibus uermes, ac lumbrici eguntur: Tuſsiunt multi, ſed fruſtra, nihil excreantes. Quibuſdam exanthematibus nigris, cœruleis, purpureis, corpus renidet, ſecundo, uel tertio die: quod ſignum

in

in solis morbis pestilentibus, constituitur. Sunt quibus alæ, inguina, glandulæ post aures, aliæq; partes corporis, Bubone, Carbunculo, Phlegmone, cæterisque tuberculis, difficillimis, & quæ non nisi maximo ægrorum periculo cicatrice obducuntur, intumescant. Sunt quibus nulla est cibi appetentia: Sunt quibus auidior iusto. Sunt quibus cor tremit, & deficit animus, idque cum mors instat. Multis aluus profluit, nunc uersicolor, nunc cinerea, nunc atra, nunc flaua, & interdum unica deiectione tam multa, ut de leienteria oriatur suspitio. Multis, uenter cum hypochondrijs tenditur, & inflatur. Multi cum stupore, & amentia balbutiunt, quos ferè omnes ad tertium, quintum, septimum expirare diem obseruaui ut uiribus integrioribus, aut imbecillis fuerant, & uenenatus humor, plus minus accreuerat.

Qualia sint in peste, medicorum præiudicia. CAP. IIII.

Multa sunt quæ in peste futura, tutò, & certò medicis prædicuntur, & asseruntur, minimè fallaci, ac dubia fide: quale est, febres aßiduas, pestilentes, maxima ex parte lethales esse: quoniam in uenatis humoribus exardescant. quod si qui euadant, salutem ijs magni constare. alios enim excæcari, alios obsurdescere, alijs rigere, & cōtēdi neruos, præsertim si aut medico minus obediant, aut remedijs conuenientibus, morbus non procuretur, quod Auicennas tradidit. cap. de signis febris putridæ. Est autem horum morborum tam infœlix exitus, ob multas rationes. Primum, quòd eorum caussas abstrusas, & delitescentes, medicorum pauci uident, ac intelligunt. Deinde, quòd multis ad eam redactis neceßitatem desunt medici: partim quòd nec ad tam multos ire possunt, partim quòd & sibi cauent, ut &

alij ferè omnes: quò fit ut, & miniſtris deſerentibus, & re anguſtiore quàm ad ſumptum ſufficiat, ſuperſtites futuri multi, ſi quæ ſunt opus ſuppetant, deſyderentur. Proinde *noſtra memoria, è ſordida plebe, multo plures quàm è claris ciuibus, & ſublati ſunt, & hoc malo tentati* Aue*nione. Etenim frequētia* Iud*æorum ſpurcæ, auaræ & immundæ turbæ:* Hiſpano*rum, guloſæ & uoracis gentis, ac uix unquam carnibus ſaturæ, unde ſanguis facile putreſcens gignitur: hominum libidinoſorum, ac peregrinorum, quos in aulam pontificis ſuorum negotiorum ſtudium exciuerat, funera fuerunt: quoniam ut arbitror, ijs in locis, unde profecti fuerant, maleficium ſtellarum iam diſperſum, incolarum corpora ſic affecerat, ut ad id mali forent procliuiora.* Enecti *ſunt & agricolæ multi, & ſeruitia, tum quòd dum in agris operi uacarent, aëris multum uitioſi trahebant, tum quòd & in-*

terdiu, & noctu sub dio somnum capiebant: multos quidem oblatus terror consternauit, dum tristem imaginem eius periculi sibi confingerent, uel quia tintinabulis publicis, mortuorum funus celebratur, uel quia sacerdotes ad funera canentes audiunt, uel quia nostræ religionis mysteria deportari ad eos uident, qui animã agunt, uel quia de aliorum obitu narrantibus cæteris, ut forte fortuna fit, resciscũt: longe tamen plurimi congressu eorum, qui fuerunt in locis pestilẽtibus, periclitantur & grauißimè, quoniam è caussa duplici, nempe & aëris, & eius qui uersatur nobiscum uitio. hoc itaque modo fit, ut unius accessu in totam modo familiam, modo ciuitatem, modo uillam pestis inuehatur. Præiudicatum & medicis habetur, dum fuerit pestis, eos magis exanimari, qui corpore sunt ad malum accipiendum paratiore. Primum teneros, molles, delicatos, ut infantes, pueros,

adoles

adolescentes, fœminas. Deinde, biliosos, graciles, calidos, quibus rarius corpus textum est: quibus laxiora cutis spiracula, ut iuuenes, puberes annum uigesimum natos, quo tempore ad uenerem primum stimulantur, uirgines, quibus menses tum primum erumpunt. Post hos, quibus operosa, & laboriosa uita est, quique ad fœminarum concubitus multum sunt salaces, & effusi. Illorum enim corpora tum superioris solius, ut mensibus primi, tum inferioris ac superioris simul potestate, labant facilius, quàm melancholicorum: Inferioris uero solius, pleniores homines Cacochymi, Hydropici, Arthretici, Stomachici, Splenici, Icterici, è morbo conualescentes: qui prauis cibis uescuntur: ut fœminæ quibus arborum fructus nondum maturi, & cruda olera, sunt in delitijs: qui lacte, butyro, caseo, se alunt: qui cibo se ac uino ingurgitant, qui=

*bus nulla cum munditie ætas degitur: qua-
les sunt Iudæi, & inops plebs reliqua. Ob
inferiorem uidelicet caussam magis, quàm
superiorem, ex illo genere, ac ordine ho-
minum multi, ut supra dictum fuit, inhu-
mantur. Cum uero æquabilis utriusque
uis caussæ, æquabilis quoq; ad omneis pe
riculi sors est. Perpetuò tamen corpora
quæ prauis succis affluunt, reliquis in ma
iore discrimine uersantur: quoniam citius
in illis putrescit humor, citißime in san-
guineis, calidis et humidis, post in biliosis,
deinde pituitosis, postremo uerò loco me-
lãcholicis: ægerrime, tardißime, difficilli-
me in temperatis: quoniã ob cõpositionis
robur, & temperationis salubritatẽ, con-
stantißime ac fortißime à putredinis oc-
casionibus sese defendunt. Quod igitur
supra diximus, raris, & laxis corpori-
bus, è caussa superiore pestis obrepit: im-
puris, humoréque uitioso refertis, ex
inferiore: utrisque, ex ambabus coniura-
tis:*

tis:mundis uero, ex neutra, nec aliunde quàm contagione malo transeunte, illiúsue occursu, uel consuetudine, qui ex loco pestilenti redeat. Munda corpora medicis nũcupantur, quibus nec humores quãtitate, nec qualitate, nec utrisque inutiles sunt, & nulla plenitudo uel ad uires est uel ad uasa, sic enim Galenus libro de Euchymia, interpretatur. Addidit Aristoteles animi securitatem, quæ ad bene, beatéq; uiuendum expetitur, ac necessaria est. Caussam superiorem, inferiore potentiorem esse uoluit autor libri de caussis. Nullam actionem fieri, quàm in rebus, ad patiendum aptis, Galenus libro de diff. febr. sensit. Hæc cum ita se habeant, mundi corporis, quod pro sua salute pugnat acerrime, pestis caussæ statum leuiter mutant, & alterant, sed perinde ac si futuros uideant irritos conatus, ab incepto statim discedunt: Immundi uero, quasi nactæ commodam in qua se exerceant

mater

materiam & opportunam, euertunt, subruunt, opprimunt, ut sanguinei, carnosi, florentis, malis humoribus obsiti: sicut fulmen loculis integris, aurum liquat, illæsáque uagina ensem è chalybe fundit, ut Albertus in compendio Philosophiæ tradidit. Ne uero quidpiam inexplicatũ nos prætereamus, cũ aërẽ huius luis uim, à syderibus excipere dicebamus, id sic non est audiendũ, quasi aër putrescat. Putrescunt enim tantũ Arist. iiij. Mete. quæ primis ex quatuor naturis cõstãt. Proinde nulla simplicis, ut quod nullum elementum sit, aut elemento proximum: nulla rari, nulla perspicui, & pellucidi aëris putredo intelligi potest, cum à syderibus solum uel refrigeretur, uel calfiat. Cæterum cum uapores, aut tenues, & occulti, aut craßi, & aspectabiles, è terris, & aquis sublati, aëri se immiscuerint, tum pestilens afflatus stellarum, sic in illo suscipitur, non ut is reapse uenenatus fiat: hoc enim

pacto uniuersum hominum genus, aboleretur, ægréue haberet, sed ut pestiferas: & uenenatas affectiones, in morbosis corporibus, leui de caussa suscitaturus sit, quemadmodum supra quoque nobis demõstratũ est. Est & prædictio medica, digna certè quam non contemnamus, eos quos pestis interimit, longe maxima parte, senescente luna expirare, quoniam tum corpora arescentibus calido ac humore natiuis, ut credidit Auicennas cap. de cucurbitulis, Aristotel. viij. de partibus animantium, plus excrementorum generant. unde fit, ut & alias suppreßi menses in fœminis, tum exuberent. Nullo non quidem tempore, infantes, pueri, senes ex hoc morbo fato concedunt, sed luna profectò silente, multo plures, quoniam tum magna est in ijs uis excrementorum, quæ propter humiditatem aceruant multa: quemadmodum è iuuenibus, robustis, sanguineis, carnosis, succulentis,

tis, plena Luna, quoniam illorum ſucci tum maxime iactantur, exultant, commouentur ob ſplendorem Lunæ illuſtriorem, quod & in ouis, cerebro, medulla, conchis æſtuoſi maris fluctibus reciprocis, experimur: atque ut Luna decreſcens ægris eſt triſtior, ſic & recens mitior, ut quæ paucos nobis eripiat, tum enim nec humor natiuus, ut cõticeſcente, minutus eſt, nec ut plena iactatus, & percitus. Præter hæc tametſi uulgatum eſt, certiſsimum eſſe in hoc malo remedium, è ſuſpectis locis, quamocyſsime profugere, & quam maxime procul, nec niſi ſero admodum reuerti, medici animaduerterunt, ijs qui ſpem ſalutis in fuga poſuerunt, eſſe fugiendum cautiſsimè. Nam & qui fuga periculum anteuertentes, per cœlum peſtilens, ut neceſſum eſt, plerumque iter agunt, cum ad optatam regionem peruenerint, ſtatim obeunt: quod Hiſpanis accidit,

Pestis remedium

noſtro

nostro seculo, Italis, Allobrogibus, & Vellaunijs, Auenionem commeantibus. quorum interitu, pestis quæ diu se inoxiam continuerat, mox erupit. Eius rei caussa est, quòd uiæ labore frequentius spirantes, plus aëris uiciosi trahunt, & corporis succos emouent, qui uelut irritati excandescunt, fiúntque perniciosi: quod adnotauit Galenus, commentario Aphorismi uigesimiquinti, libro secundo. Adde si uis, repentinas mutationes, nunquam non graues accidere, & corporis aut cacochymi, aut plenioris humores inconsuetæ uiæ fatigatione calescere, uri, uenenatos fieri, indéque nasci tubercula uenenata, quæ citra superiorem caussam, etiam plerumque in nobis existunt. Nec uero propterea suaserim, ut in populosis urbibus resistamus: Id enim stultum, & temerarium fuerit. Cæterum, ut terrorem, quem affert sparsus de mortuis rumor, effugiamus,

néue

néue ex aliorum familiaritate in periculum incurramus, & animus ab inquieto pauore uindicetur, in suburbana prædia diffugiendum est, cum paucis comitibus, ubi & solum aquosum sit, & cœlum craßius. Quod enim tale est, ut censuit Auicennas, libro primo, cap. de tempestatum uarietate, ne accipiat syderum uim, pertinacius reluctatur: non sic autem lædit superior caussa, cum ab inferiore coërcetur. At uerò fecerit sapienter, qui cum lues popularis, non tamen pestilens, inolescit, in regionem situ ab ea diuersam, unde malum oritur, aufugiet, priusquam patrium locum, ea calamitate, deprehensum uiderit. In peste quidem, cum malo caussam præbuit aëris uitium, præstabilius est in solitudines uliginosas, depressas, cœlo densiore cinctas, quàm in æditas, asperas, salebrosas, puri cœli, tenuis, ac peruij, secedere. Obstina-

stinatius enim, quæ tales fuerint, apertis, uentosis & perflatis syderum afflatus respuunt: quod inquit Auicennas, libro primo, cap. xiij. de bonitate aëris: cuius rei argumento est, eorũ qui habentur in uinculis, fœminarũ uestalium, quæ suis ædibus inclusæ, à publico abstinent, nullisq; utuntur cõmercio, eorum qui degũt locis paludosis, cœlóq; spisso, ac minime difflato, salus, bonaq; ualetudo id temporis, quo nemo prope in tuto est. Cõtra uerò terrarum halitus caussam malo si dederint, primis quidem mensibus, in paulo altiora, postremis in altißima concedendum est: ac nusquam diutius immorandum, quàm ut secundo quoque mense, solum non uertatur, quod adiectis etiam rationibus dilusceſcet. Caussas inferiores à superioribus ut earum effectus, cieri oppido statim, anteà nos exposuimus. Itidémque in omni peste, de syderum maleficio, nos queri posse declaratum est.

Itaque sydera cum nobis moliri exitium coeperint, cœlum ingrauescit, aër impurus sentitur: nubes crassæ, ac multæ luminibus cœli obstruunt: immundus ac ignauus tepor hominum emollit corpora: exoriens Sol pallescit. Hæc omnia, cum adfuissent superiori ac proxima peste, mēsibus primis, in febres uehementissimas, et nocentissima tubercula homines in quibus sola superior caussa uigebat, inciderunt: quod genus morborū est καῦσος et quarta die, uel celerius enecti sunt, ex pueris, iuuenibus, infantibus, multi: alios subita mors abstulit, quos aptiores malū offenderat: Sequētibus uerò, atrocitate morbi aliquantulum mitigata, ægri ad septimum diem, ut in acutis ægritudinibus fit, uixerunt seruatis ijs, qui ad hanc horam non occidissent, cū inferiori caussa, superioris consors iam foret: Postremis cum suas uires inferior magis contulisset, lenta mali acerbitate, ad decimum quartum, uigesimum,

mum, & longius etiam producti morbi sunt, quales χρονίους & ὀξέας ἐκ μεταπτώσεως appellamus. Nec solum ea notata est ratio, superiori peste sed & in alijs fere omnibus, quarum modum, uel auditione cognouimus, uel obseruatione didicimus. Scitu quoque dignißimum est, pestem hanc quæ uniuersas nationes populatur, ut alias item multas, ex præcedentibus connexam, in plures deinceps annos prolatam fuisse, non sine tamen peculiaribus caußis. Iupiter enim, & Mars, ad principium Tauri, Aprili mense, anno 1353. Mars item, ac Saturnus, eodem anno mẽse Maio, ad Geminorum septimum gradũ conuenient, occursu, quod dicere solent, mediocri. Quamobrẽ, malũ hoc superioribus futurum est diuturnius, nec quod ut præcedentia, quinto, sextóue, mense cõsidat, annis etiã integris, duraturum, ut alicubi iam usuuenit. Differt autẽ ab ijs, quæ antecesserunt, quoniam maiori

& aëris,& humorum putrescentium ua rietate illudit, unde pruritus, ulcerosa scabies, coli dolor, ἀλτός lumbrici, Hemitritææ febres, multa insectorū genera, partim in uisceribus latebrísque terræ, partim in eius summa facie procreantur. Differt &, quod ægrorum non idem est exitus, perinde ac si superioris, & inferioris caussæ, nulla sit consensio, sed utriusuis fortuitus quidam interuentus. Alios enim ut pleniores, subita mors occupat, alij tertio die, ut infantes, alij quinto septimóue, ut adolescentes animam efflant, alij decimum quartum uident, magnaq; ex parte bonæ ualetudini restituuntur. Differt &, quod in plures nationes excurrit eodē tēpore, in omnibus pene mundi partibus insolescens, mitior tamen alijs: quoniam in iuuenes, robustißimos quosque, durior, senibus parcit, præsertim quibus iam annus quadragesimus effluxit: Iudæis quā christianis longe infestior: ut ex quibus pene
dec

decimum quemq; abripuerit admiranda specie mali, cum alijs nunc alarum, nunc inguinum, nunc aurium, glãdulæ, nunc omnium simul earum partiũ extuberarent, nunc intro refugerent, nunc è mollibus durescerent, certißimo ægrorum exitio. Sibi redditi sunt, quibus excreuerãt tubercula: quoniam licet praui humoris magnã uim ea significarent, expellentis facultatis integritatem, ea pariter demonstrauerunt. Differt & quod contagione serpit minus periculosa, ac lubrica. Prima enim duplo plures sunt interempti, quàm seruati, nullo pene superstite, qui prehensus foret. Altera occisi tam multi, quàm qui superfuerunt, sanatis paucißimis, quos malum attigisset: Tertia decimusquisque obijt, multis ex malo curatis: hæc uero quæ quarta est, uigesimum quemque interficit, quamplurimis euadentibus.



DE RATIONE QVA PESTIS LVEM A' NOBIS ARCEAMVS.

LIBER II.

De vſu ſex rerum quæ non naturales vocantur.

CAP. I.



Vandoquidem hactenus de cauſsis peſtilentiæ, ut res ipſa poſcere uidebatur, ſi non uerbis ornatè, aut ſententijs copioſè, diſtinctè ſaltem & ordine conuenienti fuit diſputatum, in eam prouidentiam traducenda eſt oratio, quæ nos

reme

remedijs instruat, ad uitandas horum morborum insidias, appositis, & accommodatis. Cum enim sit excellentius instans periculum arcere, quam è præsenti consiliũ capere, aduenientiúmque morborum intercipere uim, quam iam ægris mederi, æquius item fuerit, arcendi prius, quam abigendi huiusce mali rationes explicare, ut nostris præceptionibus eruditi omnes & quasi armati, ab eo se defendant. Et quoniã his pœnis, ob scelera nostra irritatus quandoque nos Deus optimus maximus, persequitur, ac meritos uelut flagris cædit, imprimis, religione pura, uotisq; pijs, & castis placandus ille fuerit. Propitium enim si habuerimus, ac precibus nostris apud Deum litauerimus, iussu, & autoritate ipsius, quem inter caussas primũ, & ueneramur et adoramus, reliquæ oẽs caussæ temporis articulo, uexare nos desinẽt: incõmoda quæ circunstare solita sunt, euanescẽt cũ syderibus, alijsq; similibus cau-

sis pax reconciliata fuerit: animique securitatem magnum in hoc morbo præsidiũ nobis pepererimus, sed à nostræ religionis interpretibus, ac consultis, hæc sua uius audiantur, quàm à medico: proinde quod ars medicorum præstat, iam tractemus. Ea curiosè sex rerum non naturalium, necessariarum tamen ad uitam, usum commodum imperat, aëris, cibi, ac potus: quietis, motus, somni, uigiliarum, inanitionis, plenitudinis, animi affectuum, & eorum præterea, quæ cum his copulata sunt, ut exercitationis, balnei, thermarum, ueneris, ac huiusmodi reliquorum. Primum omnium, siue superiori caussæ pestem, siue inferiori debeamus, quoad fieri licet, minime in publicum exeundum est: quoniam, aut publicus aër uitiosus omnino est: aut obambulantibus in publico, nocens uis syderum integrior, ac è directo magis incutitur & allabitur. Semel uerò dictum est, hicque

repe

repetetur denuo, faciliorem esse causarum effectum, in ijs, quæ ut ab ijs afficiantur apta sunt, quod & Auicennas, tradidit libro de uiribus cordis, cap. de Hyacintho. *Quum igitur è superiore caussa pestis est profecta, intra ædes latendum, ac desidendum est occlusis fenestris uitro, aut ceratis umbraculis, locis humilibus, cauis, campestribus: ad defluxiones tamen ciendas minimè commodis: quoniam illic & spißior, & frigidior aër.* Nec *à sententia deduxerit quorundam opinio, aliter sentientium, quoniam uelint aërem densiorem, impressam uim malam syderum retinere diutius, ac peruicacius: calfactum igitur calfacere potētius, ut silicē, ferrum, & solidiora quæuis:* Prætereà *ut radios solis ad cauum speculum reflexos ignem accendere, sic & in locis cauis repercussu luminis aërem inflammari.* Verum *id quidem est, sed quod pro nobis, non aduersus nos faciat.*

Magna enim caliditate nihil unquam putrescit: quod subtiliter Auicennas meditatus est, cùm scriberet tetros uapores, in aërem summissos, eum putrefacere, calor ignauus si fuerit. Etenim tum uehementi, tum ingenito, disturbari putredinem: ab hoc, quia naturam aduersus putredinem tueatur: ab illo, quia cremet, urat, in cinerem ac puluisculum redigat, potius quam putrefaciat. Cùm uerò ex inferiori malum prodijt, ædifiijs altioribus commorandum, obturatis, quemadmodum suprà diximus fenestris: cum autem ex ambabus caußis nascitur, medijs locis, nec ita substructis, nec ita deiectis habitandum est, fenestris, ut antea scriptum, adornatis. Succenditur ignis, in caußis ambabus, uel inferiore sola lignis aridis, & odoris, ut Myrto, Iunipero, Libanotide, Lauendula, Lauro, Cupresso, Tamarisco, palmitibus uitis, Robore, Buxo, Rusco, idque tempe-

stat

ſtate nebuloſa, ac pluuia. Paratur, & *in foculo ſuffitus è Gallia, & Alipta* Moſchatis, Gallia Alephanguina, Meſues *confectione, è qua formantur globuli quos uulgus* Ambræ *pomum uocat. auiculis Cypriis, ni paulo forent calidiores :* Idq; *ut ſupra uda tempeſtate, nubila, frigida, caliginoſa, fœtidóque ac turpi cœlo.* Id *autem haut profuerit, æſtuoſo cœlo.* Tum *enim & aërem, & corporis ſuccos ardere, igneſceréque ſupra nos oſtendimus.* Ex *quo par eſt, ignem cùm domi nos incendimus, humorum aëriſque ardorem, & æſtum augeri.* Huc *accedit ab igne rareſcentem eum, quo nos circumſepti ſumus, aërem, tum in corpora penetrare citius, tum qualitatibus alienis celerius imbui: quod eſt ab* Auicenna *proditum, libro primo cap. de tempeſtatum uarietate.* Ignis *ergo tum ex uſu non fuerit: quin potius ne incaleſcat aër, curandum, irri-*

gatis

gatis Oxycrato pauimentis, aut Roſa, Myrto, Salice, Vite, Nymphæa, Violaria, Cydoniorum fronde ſtratis, maximè per æſtatem, madidis Roſacea, & aceto, uel ſola poſca lintheis ad ægrorum cubiculum ſuſpenſis, quod Raſis inuentum fuit lib. 4. ad Almanſorem. Contrà ſi aër calfaciendus eſt, ut per hyemē & alioqui frigidam tempeſtatem, pauimentis inſperguntur, Cupreſſus, Laurus, Calamenthū, Origanum, Chamæmelum, Libanotis, Lauendula, ni ex ſuperiore cauſſa malum ſubortum fuerit, & in primis adhuc menſibus. Nam quacunque anni parte id accidat, iuſto aër ſemper calidior eſt. Futilis quidem certè ac obtuſa medicorum ſuperiorum fabula, arbitrãtium, ut Adamas ferrum non ſequitur, Allio confricatum, ſic ubi colluceat ignis, peſtiferi uim aëris non admitti: diſsimillima porrò, cùm ſimile facere uellent, induxerunt. Adamanti enim ferrum haud trahitur, ni tenuis aër undequaque

ac pellucidus fuerit, is autem halitu uapo=req; Allij confusus obscuratur. Diuersa planè ratio in igne est. Eius enim propin=quitate aër calidior, rarior, tenuior, facilius, ac uelocius graues syderum aspira=tiones exorbet. Ignis igitur haud iuuerit, præterquam cùm æstus ingens non est in=feriore caussa, & attenuãdo, purgãdo, mũdãdoq; aëri, tum plus satis & sordido, & crasso. Odoramẽta quidem usurpari com modè possunt, sed leuiora, & suauiora, quibus recreentur spiritus, qui dißipantur grauioribus, ut Ambra, Moscho, Xyloaloe, Croco: his enim & spiritus dif=funduntur, & caput feritur ob nimiam eorum caliditatem, ut Galenus exposuit commentario Aphorismi. 28. lib. 5. Mitio=ribus, ac clementioribus spiritus modicè crassescunt, reficiuntur, delectantur, & simul coguntur. Talia sunt Rosæ, Spo=dium, Santala, Myrtus, Nymphæa, Caphura, quibus si placet, nonnihil immiscetur

Amb

Ambræ, Xyloaloes, Moschi, Ladani, Thuris, Mastiches: hyeme præsertim: domi Citrij mali cortex paßim disponendus. Is enim mirifice & supra fidem, aëris noxā emendat, quod & scriptis Auicennas mandauit libro de simplicibus medicamentis. Hic fuerunt qui odores damnarent: illis existimantes, aërem corruptum, ad cor usque peruehi expeditius. Cæterùm huius sententiæ magistri, oscitantius id hallucinati, parum animaduerterunt. Quando enim suopte nutu, uiciosus aër aßiduè corpus nostrum ingreditur, rectaq; & obnixè cor impetit, opponendum est, quod illius prauitatem mitiget odoramentum aliquod, utilitateq; sua compenset alterius detrimentum. Quod si testimonium è doctis petendum est, Auicen. id præscripsit lib. 4. cap. de peste: quo in loco uult per uias fœtidas, & loca pestilentia, iter facturis suffitu, & odoribus uarijs, spiritus exhilarandos esse: illis

enim

enim spiritus oblectari maximè, ut putidis lædi. Et quoniam mercatoribus ac nõnullis alijs peregrinationes interdum suscipiendæ, ijs peregreq; profecturis cæteris omnibus hoc consilij ratum esto, ut mensibus primis, caußáque superiore, noctu, potius quam interdiu, sese uiæ committant. Primum, quia diurno calore, Solisque luce, concitatum uitium aëris, præsentius fit. Itaque fera magis illic pestis est, ubi magis aër calet, Solq; radios conijcit ad perpendiculum rectos, & sursum percussu reflexos. Verum id esse docent tum Villæ Nouæ, quæ trans Rhodanum ob Auenionis mœnia iacet, miserandum fatum hac pestilentia, tum quòd pestis ferè semper ingruit ab hora diei tertia, donec uesperascat. Huc pertinet, & calore adiutari solitos abditarum caussarum effectus, qua ratione Succinum calfactum, ualidius sibi paleam, & aceres applicat, ut meminit

nit Auicennas, libro ſupra citato, de uiribus cordis, capite de Hyacintho. Vt ergo dies periculoſior propter Solis lucem, ſic nox tutior propter craßitiem, ac frigiditatem aëris, quæ obſtinatius reſpuunt admotas ſyderum uires. Noctu igitur uia magis conficienda eſt mercatoribus, ni plenilunium ſit, quia plenilunio calidius nox tepet, ut cenſuit Ariſtoteles, libro de partibus animantium. Alijs corpus exercendum matutino, & ſublucano crepuſculo, potius quàm aut meridie, aut uergente ad occaſum Sole: Diuitibus, & literarum ſtudioſis, quibus exercitatio tuendæ ualetudinis gratia obitur, domi lentius imambulandum, ne magna contentione corporis partes incaleſcant. In cauſſa ſola inferiore, aut ſuperiore, & inferiore compoſitis, alio prorſus tempore, exercitatio corporis conſtituenda, uaporem nocturnum obſcuramq; nubium denſitatem, cùm Sol & diſiecerit, & conſumpſerit.

At ſi

At si occasione rerum gerendarum terris nondum à Sole detectis & perlustratis, exeundum cuiquam est, is antequam egrediatur, sumito panis bucceam, succo, uel Limonum uel Aranciorum, aut Punicorum acidorum, intinctam, aliquantulúmque succi post bibito. Aut Theriaces drachmam dimidiam è Rosacea: Aut pilulas communes deuorato; aut electuarium de Bolo, uel Saccharum Rosatum lingito, manúque gestato, & naribus sæpius, ac ori prætendito, è lana aut serico panniculum Coccineum, aut lineum, Rosacea Camphurata, & aceto madentem in quibus dilutus sit, Rosarum, Santalorum & Camphuræ puluisculus. Aut globulum in eum usum hoc pacto, si æstus est confici curato. Recip. Rosa. rub. florum Nymphææ & uiolarum ana unci. I. omnium Santalorum, coriandri, corticis citri, ana unc. ß. Camphuræ drachm. I. conterantur omnia, in puluisculum excipia-

tur is Tragacantho, Rosacea macerato, inde conformetur globulus. Manus, & os quidam utiliter lauant, nunc simplici Posca, nunc Aceto, & Rosacea. Horum loco hyeme circumfertur confectio quam uulgo dicunt Ambræ pomum. Medicis ad ægros inuisuris, ex usu sunt hæc omnia, & aliquid prius sumpsisse ex ijs quæ confortatiua & defensiua uocant, ideo quòd & à pestis lue, defendunt, & cordis, ac corporis totius uires tuentur, qualia sunt Pilulæ communes, Theriace, electuarium de Bolo mica panis intincta uino, Aceto, Rosacea, iusculo pulli Aceto condito, Oxalidis succo, Rhodo Saccaro, Triasantalum: conditum aliquod in eam rem præscriptum: Hyeme Caryophillum, Macerem, Lauri folium, ore semper continere, æstate Rosam, Violas, Tormentillam, Acetum. Eiusdem est ipsorum quoque sapientiæ, cum accersuntur, priusquam

ad

ad ægros adeant, iubere, ut ſi quid in cubiculo ſordeat, efferatur, ac conuerratur. Poſca ſolum irroretur, feneſtris apertis, quod incluſum fuit ægri cubiculo, aëris uentiletur, ac renouetur. Et cum hæc peracta ſunt omnia, nec tum denique tam prope lectum ſedere, ut ægri ſpirantis halitu feriatur, ſed auerſa facie colloqui, nec cum ægro diu morari, aut ſi quid morari compulerit, præcipere ut è condito, quidquam is ſumat, quale in hoc morbo ſolet à medico imperari: aut Roſacea *&* Aceto, *os colluat. Hyeme non procul ab igne diſcedere: ægrum, qua poterit lenitate, & comitate ſermonis, leuare, conſolari, erigere in bonam ſpem: ex omnibus enim medicorum officijs nullum eſt ægro iucundius, nullum quod pluris faciat, nullum quo magis innitatur, quàm medici omnia læta pollicentis affabilitas, & comitas, unum in grauißimis qui=*

busque malis solatium, quod perferre omnia constituimus, ubi salutis aliqua spes affulserit.

Cibus, & potus.

PErcurrimus locum uniuersum, qui est de aëre, nunc de cibo & potu, disserendum, ad uitam sic necessarijs, ut cum aëre de principatu certent, medicis quærentibus, horum an illius maior uis sit, in nostris corporibus. Olerum, ac fructus, arborum natura explanabitur. primum, quæ tametsi uberius nutriendo corpori nõ idonea sint Auic. teste, expetũtur, quoniam ut medicatum alimentum dum offerimus, prauitatem emendant, qualitatum, humorum feruescentium impetum reprimunt, putredinem cohibent. Ex illo toto genere, fructus acidos, prima mensa, medici summopere commendant, æstate præcipue, & dum prandetur, qualia sunt mala Punica. Horum succi cochlearia duo

duo sorbenda sunt, quouis matutino, dulcium quum frigidus, acidorum quum calidus, μικτῶν cum temperatus uentriculus fuerit. Etenim frigidis ut utamur, nonnisi perspecta, & explorata uentriculi temperatione medicus præcipere debet, frigidis namque frigidus offenditur, ni solertia medici eorum frigiditas aliquantulum compressa fuerit: Punicorum acini è mali putamine eximuntur, Acetoso & Rosacea lauantur, exuguntur nuclei, expuuntur. Illorum uis insignis est ad propulsandam pestis contagionem, omnibúsque alijs sine dubio remedijs anteferrenda. Quocirca laborandum ut eorum nunquam desit copia. A Punicis honos secundus Medicorum, in quo nomine Arancia, Limones, Citria comprehendimus. Horum fructum deglubitur, frigida eluitur, inspersο Sacchаro comestur, mirifica potestate, ad compescendos humorum feruores. Eodem consilio, Me-

Mala punica d[...]

limeli, Pomum de paradiſo uocant, aut
Appij, aut cuiuſuis alius id generis fru=
ſtum dentibus atteritur, ſuccus exugitur,
reliquum eijcitur. Numerantur & inter
hæc Ceraſa & Pruna acida. Condiun=
tur obſonia, è ſucco Arancij, Citrij, Li_
monum, Oxalidis, Omphacio, Aceto &
tantillo Cinamomo. Huic condimento
panis intinctus, adiecto Saccharo, &
Punicorum ſucco, ſi edatur, appeten=
tiam reddit, ſitim mulcet, uomitiones, &
alui profluuia ſiſtit, additis Oxyachan=
tes baccis. Conferunt eodem Corna, Sor=
ba, Meſpila, Cydonia, Pyra: primis tum
menſis, alias uerò ſi effluxio nulla remo=
randa fuerit, ſecundis. Manſum pariter
Coriandrum ad peſtilentis aëris uitia
conuenit. Fugienda tum mollia, tum dul=
cia, ficus, Mora, Perſica matura, uuæ dul=
ces, tum quia dulcia in bilē facile conuer=
tuntur, & interiores corporis uias ob=
ſtruunt, tum quia mollia, uitium aëris pro
pter

pter corticis teneritatem citius imbibunt. Dura omnia qualia sunt Auellanæ, Amygdalæ, Iuglandes, Pistacia, Strobili, in pestilentia facilè & impunè permittuntur. Et hæc de arborum fructibus. Olerum decoctum, oleribus ipsis, quæ crudos, aquosos & ob liquiditatem commodè uel putrescentes uel ardescentes gignunt succos, salubrius est: illis propterea non uescendum omnino, si liceat. Quod si hos fines cupiditas hominum exiliat, lecta, tepida lauari oportet, ter aut quater, seu in oxyporum, seu in iuscula lecta fuerint: ut quod aëris uitiū summam illorum partē obsederat, deponatur. Sic parantur Melo, Cucurbita, Cucumer, Portulaca, Lactuca, Braßica, quam ob siccitatem, ne putrescāt humores, aiunt efficere: Buglossum, Cirsium, Spinachia, Cichoriū, Violaria, Atriplex. In uētriculis calidis, è Lactuca, Cichorio, Portulaca, Oxyporum paratū haud damnatur meridie præsertim. Cæterum in

hoc genere, omnes alias excellunt Intybū laudibus Auicen: celebre, ut quod Antidoti uice habeatur, & Oxalis. Huius nouem folia, in aqua, & aceto mersa prius, & matutino deuorata, summum esse remedium experti sunt multi. Alijs ubiq; placet Oxalis in iusculis, condimentis, oxyporis. Iuuant Cappares conditi, aqua incocti, & aceto sumpti ad duodecim. Ex leguminibus, Lenticula cortice exuta, & faba fresa, cum farina Ordei, & Amygdalis tritæ, conueniunt propter siccitatem, & frigiditatem, quibus putredini repugnant ut & farina Lupinorum quæ lumbricos tum maximè nascentes, occidit. Conueniunt Amygdalatum, Ptissana ex Ordeo, uel Zæa, Auenatum, è Saccharo omnia, & Oxalidis succo, interiectis, Punicorū acinis, cum paululo uel Cinamomi, uel Croci in frigido uentriculo, ne acidorum frigiditas lædat. Cicera, Pisa, Lens, coctura mollescunt: in cerniculo aut colo æreo

pertu

pertuso transmittuntur, ex eo quod transijt iusculum fit, puretam uulgo nuncupāt. Quæritur saporis gratia additis, Apio, Oxalide, Croco, Zingibere, Cinamomo. Rapi, & Napi esus, non interdicitur, sicut & nec ex illis iusculum quod Cinamomū acceperit, nec ex Cucurbita, Croco, & Oxalide condita. utilia sunt iuscula, è carnibus quibus assueuimus, uerueci-na, Bubula, Pullorū, Cappi, Gallinæ, Perdicis, admixtis Omphacio, succo Oxalidis, Aceto, Cinamomo, Croco, succo Arācioru, Citriorū, Limonū. Acidorum enim, quoniā supprimūt putredinem, feruorémque humorū sedant, nūquam nō usus opportunus est eorū frigiditate, ut supra dictum est, ne uentriculis frigidioribus noceatur, calidorū accesione ut Cinamomi, uel Croci nonnihil obtusa, uitāda acria, omnia, Allium, Porrum, Cæpa, Eruca, Nasturciū, Sisymbrion quod in oxyporis edi solet, Apiū, Ruta; aromata quæuis calida,

quibus ſucci corporis uruntur & ferueт.
Quod autē uulgo aiunt Rutæ folia cum
iuglandibus & ficu ſubacta, quo die ueſci
carnibus per noſtræ religiōis inſtituta nō
cōceditur, menſa prima eſſe ſumenda, &
alias matutino, cū à peſtilentia timemus,
hoc enim nos aduerſus uenenum tutari id
quidē uerū ſi quis uenenato cibo inſidias
uitæ noſtræ moliatur: falſum, ſi aduerſus
corruptelam aëris, nobis cautū eſſe ueli-
mus. Iſtic enim cane peius & angue, ut eſt
in prouerbio, quæ humores attenuant, &
immodice calfaciūt refugienda: imprimis
quæ rancida iuglans, plane uenenata, ut
Raſis prodidit, ſuorū librorū ad Almāſo-
rē octauo, quoniam ipſius oleo humores
corporis uelut perfuſi ſtatim deflagrant.
Damnoſa ſunt ſalſamenta, quoniam ſalſu
gine corpus macreſcit: ſucci corporis ac-
cenduntur: congenitus humor areſcit, pe-
culiari ad id ſalis noxa. Proinde libris de
partibus animal. ſine unguibus filios edi
Ariſt.

Aristote. uoluit, cum grauidæ matres inanem appetentiam prægnantibus familiarem, sale copioso satiauerint, qua eadẽ ratione, salsa macilẽtis, studiosis literarũ, delicatis, officiũt. Nihil è lacte paratũ, nihil dulce gustandũ, quoniã illa facile putrescũt, præter Oxygala, & lactis caprini serũ, quæ tũ nos indulgemus: Alia in bilẽ corrũpũtur, uias corporis impediũt, ac idcirco febres generãt, ni tollatur incõmoditas ea adiunctis acidis, siue in cibos, siue in pharmaca, dulcia nos assumamus. Eodẽ in numero habẽda pinguia, quæ inflationes excitãt, ac bilem gignũt, oleosa, & oleũ ipsum, quia inflammantur citißime. Panis esto purus è tritico minime uitiato, horno, si tale nancisci possumus, quod in agris prouenerit æditis, arborum umbra, minime opacis, minime stercoratis. Hornum præfertur aut binum, quoniam pestis lue, stirpium & eorũ, quæ terra progerminant uniuersum genus uitiatur, quæ in

animātibus dū ijs aluntur, mali caussa est, ut Auic. scriptum reliquit, lib. j. Ad ualetudinē facit Tritico, uel Zeæ, uel Hordei, nonnihil admiscere refrigerandi, & siccandi gratia. Panis fermento, & sale quibus tritici gluten euincitur, esto conditus, non ante triduū, coctus, adhuc molliusculus. Azyma omnia ne gustanda quidē ut bellaria nostra, Placētæ, Lagana ἴτρια, τὰ γηνήτα, πέμματα Græcorū, πόπανα, Crustulæ, crustis etiam nostro more caro incocta, & reliqua id genus. Oriza, quia tenues humores cogit, & spissat nonnunquam uescendum è croco, & omphacio parata, non ut fieri solet, cum Bubula, uel Ouilla in multa pinguedine natante: uinū esto bimū, propter eam caussam quam in tritico nos expreximus, album uel subfuluum, astringens modice, non dulce, nō generosius, & potentius, non uaporosum qualia sunt Cretensia, Rhodia, Cypria, & exotica multa: non aromatibus ad

uolu

uoluptatem conditum, ut Hippocraticum nostras. Iis enim humores accenduntur, iuuenum præsertim, quibus sunt nocentißima, senibus uero quibus ætas, & alijs quibus crapula uentriculum refrigerauit, ea bibere, sed parcè conceditur, ubi aliquantulum cibi præsumpserint. Eadem est in Defruto, & Sapa præceptio, uel quæ seorsum bibuntur, uel quæ miscentur cum alijs. His enim ut nigris ac dulcibus, & sanguis feruens gignitur, & obstructiones alliciẽdis febribus idoneæ. uinũ ergo probatur, tenue, fragrans è con sitis uiribus in locis saxosis, montosis, glareosis, asperis, ualde dilutum in iuuenibus, & æstate: meracius hyeme. Quibus in locis uites non coluntur, aqua bibenda est decocta prius cũ aliquantulo Aceti, & ordei, aut immersa panis medulla, ut si quod sit uitium, id abscedat. Ea uero qua panis subigitur, uinũ diluitur, quæ iusculis affunditur, cõquirẽda è puteis, citius quã amne, uel

uel fonte, & priusquam Sol exoriatur, haurienda situlis altißime depreßis: quoniam in superiore pestis caussa cœli uitio, procurrens aqua & detecta magis efficitur, minus putei, minime in altis ac profūdis aquæ scaturientes. At in caussa uel inferiore, uel utraque, salutarior fontium & profluentium in summa terra, potus aquarum est, quod Rasis uult quarto ad Almansorem: Haurienda uero die multo aqua est, ut Solis radijs, & calore perfusa purior sit. Quod si natura insalubris fuerit, ea coquenda cum Aceti paululo: colanda, ferro, chalybe, auro, argento, candentibus iniectis, ac extinctis, purganda. Hæc de aquis. Zingiber uiride, confectiones omnes calidiores, è melle, uini stillatitij liquor, quem nos aquam uitæ dicimus, rusticorum opinione incomparabile remedium, non congruunt, ut è carnibus, nec pinguiores, nec humidiores. Itaque Suilla, è porco mactato nuper, elixa

elixa præsertim, non edenda: Salsa uero, Caro suilla
assa, & macrior non sic damnatur, dum
auidius non ingeramus. Bubula maxime Carnes fugiendæ
salsa, auium palustrium ut Anserum, A=
natum, Ardeæ, caro uitanda. Humidio=
rem enim ac craßiorem, uel sicciorem,
& melancholicum succum gignunt: aut
uentriculum offendunt, quod in Anseris
carne medicis reprehensum est. Ex usu
est Hœdina, si curiosius à matre Hœ=
dus fuerit educatus, ac nondum rumina=
uerit: Cuniculus tenellus, Lepusculus, ue=
tus enim duræ carnis est, ac succi me-
lancholici. Ceruorum, Damarũ, Caprea-
rum, & huiusmodi syluestrium animan=
tium, quæ canibus uenamur, tametsi ca-
ro quàm cicurum, & domesticorum sic=
cior sit, excrementorúmque minus fa-
ciat, non expedit tamen, præsertim cum
ex inferiore caussa pestis est. Primum
quia in cœlo degunt aperto, & undi-
que patenti, nullis unquam latebris
absc

abſconſæ: tum quia cæteris belluis cũ in- greſſu, curſu, ſaltu, ſe magis exerceant, plus aëris uicioſi, & anhelant & per cutis foramina ducunt. Poſtremo quia ab aëre uitiatis ſtirpibus, herbis, fruti- cibus, famem: aquis obſcœnis & ran- cidis, ſitim explent, unde caro ipſorum minus utilis: uolucres, quoniam paucius & rarius ſpirant, ſuſpectæ minus ſunt: quæ ſe procul à terris uolatu ſubdu- cunt in peſte ex inferiore cauſſa: quæ propius terras nidulantur, commoran- tur, uiuunt, ut Perdices, Phaſiani, aui- culæ, quas pedita, laqueis, uiſco captа- mus, in peſte ex ſuperiore. Veruecinæ u- ſus commodus aut leuiter ſalſæ, aut aſſæ, minus ut humida & glutinoſa ſit: Com- modus, & iuuenum Gallinarum quæ o- ua pariunt, reficiendis ægrorum uiri- bus, nigrarum maxime. Illarum enim caro, quàm aliarum ſanguini uicinior eſt, ideoque mutatur in eum prom- ptius,

ptius, ex uulgari Philosophorum dicto, facilius ex sese inuicem fieri inter quæ naturæ societas est, ac congruentia: Præter id quod Mesues uoluit, quamminimum excrementorum ab ijs gigni. Capi iuuenes, & Gallinarum pulli reliquis omnibus cibis iure anteponuntur, Magna est utilitas uitulinæ, ex Oxalidis, succo. Carnibus hactenus memoratis, quarum esum probauimus, siue aßis, siue elixis, siue crusta incoctis, Omphacis, Oxalidis, Arantiorum, Limonum, Citriorum succus esto pro condimento. Dum crusta incoquentur, pertusa sunto supra spiracula, quibus elatus uapor reddatur. Insalubria enim & fere uenenata esse uoluit Rasis quarto ad Almansorem, quæ crusta circumsepta, dum coquuntur, halitus nihil foras eijciunt. Vtilißime dantur condita, & glaciata iuscula, Gelanitas appellant, Gal-

linarum, Capi, Gallinæ, Pullorum Perdicis, auicularum montanarum, artuum, uel Hœdi, uel Porci delectorum, piscium. Coquuntur ea usq; dum pulpa tabescente, ossa diducantur, & excidant. Nunquam non tempestiuum fuerit, album condimentum ex Amygdalis tritis, si Punici mali acini interspergantur. Nec inutile fuerit id genus condimenti, quod uerbo corrupto Ciueriũ quasi Ceparium dicunt, ex carne iuuenis Cuniculi & teneri, concisa frustulatim, cum Zingibere, Croco, Cinamomo, Omphacio. Intestina Veruecis iuuenis, Hœdi, Vituli, diu cocta, in cibos etiam admittuntur, ut & Suis artus percocti, studiosè, cum Apio, & Aceti ac Ceparum tantulo. Carnis multæ & ouorum recentium potißimè ac sorbilium ea noxa est, quòd sanguinem multum generant, ob copiam facile, & putrescentem, & uias corporis inter

interclu dentem. Quam ob causam, & pisces delecti, carnibus longe sunt conuenientiores. Deliguntur ex aquis perspicuis, limpidis, arenoso & glareoso alueo manantibus, ex maritimis saxatiles, non cœno, luto, purgamentis fluminum, non denique cibis immundis saginati, squamosi, non leues, aut chartilaginei, quales Conger, Anguilla, Lampreta, Murena, Raya, Pastinaca, Torpedo, Galæus: non uasti, & Cetacei, quales Delphinus, Thimnus, Balena, Phoca, Orca, Amia, quem Piscem Mularem Narbonæ uocant: Fluuiatiles, æstate quales Truta, Vmbra, Lucius, Barbulus, Perca, Tinca, Astacus, ex amnibus minime lutosis: maritimi hyeme probantur magis, quales Aselli recentes, ex Oceano præsertim uel Britannorum uel Armoricorũ, Mulli, Erythrini, Cancri, Locustæ, Grãmari, Soleæ, Passer, Rhõbus, Lupus,

Coracinus Merula, Turdus, Psittacus, Trachourus, Arincus, uel recens, uel si salsus, aqua maceratus, quoad salsugo eluatur: hyeme frixi, aut aßi in craticula, ex aromatibus paucis, Cepa & Aceto, uel Omphacio: æstate elixi, ut & in iuuenibus ac biliosis febribus, ex Apio, sale pauco, & Oxalide. Horum esus magis quàm carnis iuuat, Primum quia non tam multum sanguinem, deinde quia non tam calidum suppeditant: Tum quia celati aquis, uiciosum aërem non inspirant. Huc referendum, aquas ob perennem fluxum, & motum à putredine uindicari: mare uero & propter hanc ipsam causam, & propter salsuginem. Itaque libro septimo, de partibus animalium Aristoteles: & libro septimo, de naturis animantium Auicennas piscium generi ut hominum, & aliarum quadrupedum, nullam unquam infestam esse pestilentiam, scripserunt, unde uulgatum

gatum est adagium, Pisce magis sanus: ἰχθύος μᾶλλον ὑγιαίνων. Putredine igitur piscis nũquam ægre habet, nisi aut in pigris stagnis torpeat, aut aquam summam findere, & sulcare gaudeat. Adde si placet Apho. 18. lib. 1. uictum humidum, & frigidum, calida & sicca tempestate, & bene ualentibus, & ægris, maxime qui tenentur febre mandari. Ex omnibus piscibus, aëris uitio minime sunt obiecti, quorum & plurimæ squamæ, & minutißimæ fuerint. Post hos qui testem, pro tegumento ferunt, quales cancer, & fluuiatilis, & maritimus, Locusta, Gammarus, Ostrea, Mituli, Pectines, Hiatulæ, Telinæ, Solenes, Purpuræ, Vmbilici, ac uno uerbo Concharũ, & ὀστρακοδέρμων uniuersum genus. De his Aristotelis, secundo libro de animantium naturis, elogium est, Pisces qui senectam exuunt, incredibili & admirabili potestate, nos tueri, ac conseruare: obstare ne cõgenitus humor discutiatur, ne alie-

nus & uitiosus accrescat: supplere quod è spiritu dissoluitur. Eadem in sententia fuit Arnaldus, libro de moranda senectute, cùm ad hũc modum scriberet. Animal ait, quod natura sua se innouat, innouat etiam nos: quod se instaurat, instaurat etiam nos. Sic enim uisum parenti omnium rerum uniuersæ naturæ fuit, ut ijs ipsis signis, quæ in illorum natura conspiciuntur, ostendant multa, quid poßint in nostris corporibus efficere. Id enim uitam nostram prorogat, quod diu suam producit: Id uitam breuiorem affert, quod parum uiuit. In carnibus perinde ac pisce condimenta fiant, Album ex Amygdalis tritis, & uel Aceto, uel Omphacio, & Zingiberis paululo, uel Rosacea, uel Punici, uel Arancij Limonúmue succo imbutis; uiride ex Aceto, Omphacio, & Cinamomi tantulo. Multa quidem recitauimus, sed in libris medicorum paßim tradita. Vnum quidem

super

ſupereſt, & notũ paucis, & quod cæteris omnibus anteponi queat, ab ijs qui arcanæ rerum peruestigandarum Philo-*ſophiæ dediti ſunt, ſic proditum, ut magna obſcuritate inuoluerint,* Arnaldo *miris laudibus & euectum & celebratum, ſed quod non niſi diuitibus uſurpetur, id eſt uſus auri, quod nunc iuſculis incoquitur, ſeu rude ſeu percuſſum, in monetamq; formatum nunc candens in eo quod bibimus extinctum, nunc ad pateram, uel lancem fabricandam elaboratum, nunc minimè uulganda ratione, & ingenioſis ſolùm percepta ſic paratum, ut ſtupendis miraculis extirpet morbos, ac profliget, incurabiles alioquin: uitam incolumem ſuſtineat, exitum uitæ in plurimos annos differat, ut obiter poſteà demonſtraturus ſum.* Huius *ergo* Prophylactices *ſumma eſt, ac* Epilogus, *uictus rationem oportere eſſe huiuſmodi, ut nec attenuet præter modum, quod aliqui decreuerunt:*

in hac enim ſucci noſtri corrumpuntur, & incenduntur, uitioq; aëris feriuntur magis, ob corporis laxitatem: nec immodicè ſpiſſet, ob putredinis, ac obſtructionis periculum, ſed mediocritate iuſta contineatur, & rebus alijs non naturalibus, & cibo ac potu, ad eam reuocatis, quale eſſe uinum debere, ſupra diximus, & ex alimentis, quale potiſsimum eſt ius glatiatum, ex auribus & pedibus Suis, Hœdi, Vituli, ac Gallina, obſonium ex inteſtinis ueruecis, Hœdi, Vituli, ac reliqua id genus.

De veſtibus.

CVltus corporis is eſto, ne ueſtibus ſupra modum calfacientibus, quales ſunt denſis pellibus ſuffultæ, grauetur. Iis enim laxatum intra ſe uitioſum aërem, facilius recipit. Pro tempeſtate, plus, minus ueſtiendum, ſic tamen ut ueſtis perpetuò ſpiſsior ſit, textaq; preſsius, & quo minus ad cutem uſque corruptus aër ſubeat

Veſtis glicin lich

beat

beat satis ipsa uetet. Diplois æstate commoda fuerit è rubro Serico, coccineo: aut lineo, uel undulato panno: interiecto paucò Bombace operta. Tunica hyeme esto angusta, & adstricta, si res permittit, Coccinea, pellibus substrata tenuibus, quales sunt Agnorum crispæ, aliæue nec multo nec prolixo pilo hispidæ, ut uariæ nostræ, maculis & crebris & minutis: minutim uarias appellant. Toga esto undulata. Indusia cùm elota fuerint lixiuio, & emaculata, homine ac tempestate calidis, rursum madescant Rosacea, in qua Santalum Camphoram, Rosas diluerimus. Homine uero, ac tempestate frigidis, decocto Ireos & Cocci, cum pauca Rosacea uestitus mundities, ut salutaris est, ac honesta, sic & odor non curiosè affectatus, quem oderant ueteres, cùm dicerent malle se nihil quàm benè olere, sed iucundus ac suauis, qui nec alarum bircum, nec uirus sudoris, offundat na-

ribus. Odor is conciliatur æſtate, puluiſculo Roſarum, Santalorum omnium, uiolarum, Camphuræ, æqua portione commixtorum: Hyeme, adiectis Moſcho, Iride, aut puluiſculo uiolaceo, qui paßim in officinis miſcetur.

Somnus.

INterdiu *minimè dormiendum, maximéque & pranſis, & meridie. At ſi quis, ob conſuetudinem, & æſtum ſibi temperare non poßit, quominus dormiat: is ſomnum capito & procul à cibo, & diſcinctus, & depoſitis calceis, in loco non udo, quambreuißimum poterit. Nocturnus ſomnus, quoniam humectat, & refrigerat, officitq́; ne humores incendantur, commodior eſt, capite in ceruicali altius inclinato: uigiliæ multæ, quoniam multum ſiccant, fugiendæ.*

Motus, quies.

MOtu *corpus areſcit, calorem ſiccitas minuitat. Parum igitur corpus mouēdum,*

dũ; præsertim magno æstu, quo humores solent efferuescere. Corpus exercendũ, si opus exercitatio fuerit, uesperi, ac matutino cũ pestis caussa superior est: alias cũ inferior. Cætera magis quiescendũ. humescit enim quiete, ac refrigeratur corpus.

Inanitio, plenitudo.

Cibo se multo semel infarcire non expedit, ut & nec multiplici. Nihil enim magis ciborum uarietate Auicennæ damnatur. cap. de ratione cibi ac potus. Priusquam mensæ accumbatur, fex alui egerenda est. Illos enim rarò morbus adoritur, quibus aluus mollis fuerit: quod Galenus scripsit, commentario Apho. 35. lib. 6. Cœnandum parce, & citra carnis esum, contentis iusculo, ac panis offa intincta, cum Omphacij tantulo: uel iusculo glaciato, cuius supra meminimus: aut Pulli carne paucißima, ex Aceto, & Rosacea. Nulli uel sitis, uel fames toleranda. Omnium minimè ijs quibus calidior est

uentriculus. Iis igitur crebro, ſed parum edendum, ientandumq́; ac pro meranda comeſſandum. Ientaculo modicum aut uini bibunto, aut iuſculi acidi ſorbento. Merēda, uel Mali, uel Pyri, uel corticis Citri conditi, fruſtulum ſumunto, uel Amygdalas recentes Roſacea Saccharata maceratas: uel ſi ſanguis abundat, Lactucam, Portulacam Oxalida, Cucumerem, Melonem, ex Aceto, quorum frequenti, ac repetito eſu ſpiritus & ſanguis nouantur, recentéſque aëris ſtatum magis citra noxam perferunt quàm antiqui: quod inter Auicennam lib. 4. & faciundæ medicinæ doctores, prorſus conuenit.

Affectus animi.

A*Ffectus animi omnes ex æquo frenandi ſunt, ne concitatius, ac uehementius tumultuentur. Gaudio multos quibus anguſtus, puſillus, & muliebris animus fuit: metu complures occidiſſe legimus. Ira præcipuè qua humores incenduntur*

cohi

cohibenda. De morte nec metuendum, nec cogitandum. Triſtis enim ea meditatio morbis aliquando initium præbuit. Effuſius non ridendum, haud ſolum quod multo riſu obrui mentem, & excidere pudorem, ac fatuitatem prodi, autor eſt Ariſtoteles quadam epiſtola ad Alexandrum. Sed & quòd riſu, ſpiritus diſperguntur, ac corpus eneruatur.

De Venere & Balneis.

IMpetus ad Venerẽ coercẽdus. Maritos uxor ſi ſolicitat (ut fœminas ſemper quantum illic operis ſit pœnitet) cautiſſimè liberis opera danda, nempe ſeptimo quoque die, tantum, idq; matutino. Nec Balneis lauandum, nec ſudandum Hypocauſtis. Multos namque ob eam imprudentiam, mortem ſibi conſciuiſſe adnotaui, quòd uel Balneo, uel Hypocauſto uſi temere fuiſſent. Quanquam balneo ex aqua tepida, bilioſis, ac melancholicis magnis ardoribus prorſus non interdicatur, emendandæ illorum ſiccitati, præſertim

tim

tim cùm pestis est è superiore caussa. Lauantur pedes, ac manus decocto tepido Rosarum, foliorum Vitis, Salicis, Arundinis, Florum Chamæmeli. Puerorum totum corpus tepida humectatur, eluendis sordibus, quæ summæ cuti adhærent: ea tamen cautione, in balneo ne diu sint. Longa enim in Balneo mora, humores ipsorum inflammantur. Reliqua puerilis ætatis curatio in nutricem reijcienda, cui sumendum nihil calidum, acre, mordax: uictus imperandus refrigerans ac humectans: uenus detestanda, quòd ea uoluptate, concubituq; hominum, lac iusto fiat calidius.

*

SEC



SECVNDI LIBRI PARS SECVNDA, DE MEDICIS REMEDIIS, QVIBVS A PESTE NOBIS CAVEMVS.



VC VSQVE uel abunde rationẽ uictus quæ in pestis discrimine sequenda est, memorauimus. Itaq; loco hoc pertractato, iã consentaneum fuerit de ijs remedijs, atque medicamentis orationem habere, quæ cum uictus ratione supra descripta conueniunt, ac eiusdem rei caussa, pestis ne incessat adhibentur. Corporibus enim puris,

ris, riteque, ac decenter curatis, malum hoc nunquam incidere Auicennas uoluit. libro 4. Porrò *autem, in his statuendis, consilium medicis triplex est,* Primum *ut superuacuis corpora purgentur,* Alte*rum ut puram uitam agant.* Postremum *ut facultates, à quibus reguntur, ualeant, eorumq; uis confirmetur.* Hæc *tria quæsiuit pilularum communium autor.* Aloe *namque uoluit purgari corpora,* Myrrha *puritatem conseruari,* Croco *sustineri, ac roborari facultates corpori præfectas.* Aptißimum *quidem illud remedium sed quod ad mala grauiora sit leuius.* Proin*de ijs qui aut multo sanguine, aut prauis succis exuberant, clemens id auxilium non satis fuerit.* In *prioribus uena secanda est, nimirum cùm uel seorsim ac solus, uel unà cum humoribus alijs, quibus permiscetur, sanguis abundantior fuerit.* Eam *postulant habitiora corpora, referta sanguine, carnosa, rubentia, huic remedio consuefa*

suefacta; magnis & amplis uenis conspicua: multo uini potu, multæ carnis esu, pinguia, & opima: ociosa, & ignaua: ac interim ualida, qualia plurimum sunt Aulicorum summi Pontificis. Ea particulatim quæ recensemus si non adfuerint, sectio uenæ non audenda est, cum aliorum suppetat remediorũ copia, quæ utiliora sint, & morbis sanandis, & propulsandis. Vena cum inciditur, depellendi periculi caussa, in optimatibus: delicatis, ac potentibus uiris, quorum mollicies nullum medici erratum ferre, nullũ dißimulare potest: tempestas deligitur nec calidior, nec frigidior, sed temperata: ex diebus, qui talis est: Lunæ status, nec obscuræ, nec è directo infaustorum syderum cuiquam obiectæ: nec ab eodem quarta Signiferi parte diuisæ: in lætioribus astris collucentis: cæteras stellas hilariter & beneuolè conspicientis: hora luminéque uel post νεομηνίαν crescentis, uel post τὴν πανσέληνον decrescen-

tis, ut magis expedit. Tũ enim ſanguis uel ſolus, uel cum bile, pituita, melancholia ad motum eſt incitatior. Sanguis alijs mittitur ſemel, alijs pluries. Quibus pluries ex Axillari uena primum dextra, deinde ſiniſtra, poſt unum uel alterum diem: ſæpius uero ſi neceſſum eſt in ſanguine redundãtibus, rubris, carnoſis, mole corporis plenioribus, nõ obeſis, uiciſsim nunc ex hac uena, nunc ex illa. Adoleſcentibus, ac ſanguineis, quibuſuis, ſola ſanguinis abundantia periclitantibus, uena tunditur, cum Luna ex obſcura diuidua fit, orientéque Sole ac die ſereno. Iuuenibus bilioſis, cum Luna ex diuidua plena fit, circiter meridiem, aut paulo citius, ſi ueremur ut ieiunio lædantur. Melancholicis ac uiris ætate conſiſtentibus, cum Luna rurſus è plena fit διχότομος, Senibus ac pituitoſis, cum Luna obſcuratur ex dimidiata. Iis enim temporibus, humorum quiſque magis incitatur, ac commouetur.

Ea

Ea ratio inducta est, tum inde quod Aristoteles, caeterique ab eo Philosophi, & Astrologi animaduerterunt, eundē à Luna menstruo spatio, atque à Sole cursum annuo cōfici. Vt igitur Solis ambitu, aestas est, ac hyems, aliaq; tempora, sic & Lunae circumactu eam temporum diuersitatem aduenire: tum inde quod disparibus & anni partibus & diei, humores dispares augescunt, auctiq; impetu feruntur ad motum. Modum sanguinis educēdi Galenus (quā quā uariū esse pro uarijs temperamētis & alijs cōditionibus tradat) in adolescente tamen lib. unam detrahit, ut planū est è lib. de curatione per sanguinis missionem: aitq; se interfuisse, cùm detractis libris duabus, febris confestim iugularetur, nihilq; grauius accideret: in alijs sesquilibram effusam, sed non sine ualetudinis in posterum detrimento, si plus abstulissent: libram unam facilè & absque noxa demi posse, etiam in adolescente. Aetate quidem

uincimur, nobis quoque ipsis imbecilliores natos procreamus, ac celerius consenescentes. Itaque nostra memoria uirgines anno decimo, iam ad uenerem gestiunt, & nubunt, adolescentes duodecimo, ac temporius quoque uxores ducunt. Aristoteles uero sensit libro octauo; de historia animantium, liberos ex ijs susceptos, qui annum primum ac uigesimum nondum attigerint, fragili, ac ualetudinario corpore, imbelles uiuere, quoniam ante id tempus, uel infœcunda genitura sit, uel proles inualida, impotens, ac uieta, & feratur, & concipiatur. Cum igitur uiribus corporis longè ab ijs distemus, quos Galeni æuum tulit, etenim post illos anno iam millesimo ducentesimo tricesimo sexto, lucem hanc intuemur, minuendus ille sanguinis eijciendi modus, qui Galeno summus uidebatur, nempe libræ unius, ne quod imperitis medicis exprobratur, in nobis uituperent,

morbum quidem ſanatum fuiſſe, ægrum trucidatum. In uenæ ſectione, præter hoc multa quoque alia ponderanda, & excutienda huiuſce quæstionis principio dixi, quale eſt, uenam eſſe reſignandam, cum primum aër uitiari cœperit, quod ſanguinis euacuandi licentiam quibuſdam uelut clauſtris appoſitis compeſcendam arbitrarer, præſertim cùm nihil ſit, ubi frequentius delinquatur à medicis & periculoſius. Primum quidem, ſi Pharmacum tu conferas, naturæ prouidentia ſolus is humor educitur, quem ab alijs ſelectum medicamenti uis elicit. At uena recluſa, medico non licet humorem ſecernere, quē pelli foras utile prouiderit. Confeſtim enim ſanguis erumpens, & bonos, & prauos humores ſecum prouoluit. Quapropter uſu ſæpe uenit, ut corporis uitioſi humores, icta uena, bonis exeuntibus restent, ac ſuperſint. Præterea falſo quidam aiunt mittendo ſanguine obſtare nos, ne humo

humores efferuescant. Non enim solum id non assequimur, sed illos etiam magis hoc remedio succendimus. Nam quemadmodum citius merum prunis ac flammæ impositum calescit, tardius aqua, & uinum dilutum: Vt promptius aridi ligni, quale ueterum Acapnon fuit, strues crematur, ægrius uiridis, nuper cæsi, humoréque suo adhuc turgentis: Sic & bilis, quæ in nostro corpore siccißima est, ni humore sanguinis irrigetur, ac offundatur, ardet celerrime. Quare Auicennas concinna, eleganti, belláque metaphora, sanguinem habenas, & frenum bilis uocare consueuit: quoniam illius præsentia ne ferociat, exultet, ac insolescat bilis coërcetur: Idémque ille, temeraria uenæ sectione alibi dixit, aut contumacius frigidos humores crudescere, aut excandescere calidos ac efferari. Adde & his, cùm ea sit incorpore humorum quibus constamus

uel ἰσονομία, uel æquilibritas, quantum ſagaci perpenſione coniectari medici potuerunt, ut portione perpetuo inter ipſos dupla comparentur, uerbi cauſſa, octo libras ſanguis pendat, pituita quatuor, bilis flaua duas, unam atra: cúmque item uenæ ſectione omnes æquabiliter humores uacuentur, quæ poſt fuſum ſanguinem cum reliquo bilis manſerit, ſi prius humores accendebat, poſtea quoque illos & accendet. Tãtum enim ualebit unica bilis pars in quatuor ſanguinis, quantũ eiuſdem partes duæ, in octo ſanguinis. Ex quo efficitur, feruidos humores ſanguinis emiſſione nunquam prorſus leniri. Reſponderit aliquis, minime ſe hanc ἰσονομίαν quam declarauimus in naturalibus quidem humoribus tollere: nullam uerò eſſe talem in ſuperuacuis & alienis quos uenæ complectuntur. Etenim ut omnia quæ natura facit ordine rato, & certa conditione, ac inuiolata progrediuntur, ſic nihil

hil certum, constans, ratũ in ijs quæ præter naturam fiunt, existere potest. Recte hoc quidem, sed quod tametsi non improbemus, minime tamen rem conficiat. Id namque & hîc necessum est: quandoquidem illata uenæ plaga, & praui & boni humores æquabiliter profluunt, tantũ uiciosi succi, si cum utili compares, relinqui postea, quãtũ illic antea fuit. Sicq́; ad mitigandũ feruorem sanguinis, proficit nihil uena secta. Subijciet aliquis, exoneratam naturam minore, quod restat, opera uincere, ac superare potentius, uerum quidem certe id foret, si copia tantum noceret humor. At ubi qualitatis uitium est, nondum tamen à naturæ statu sic alienatæ, ut in illum referri non poßit, ea contrarijs inducenda est primum, deinde qualitate compressa, non uenæ sectione, sed pharmaco inaniendũ corpus. Dixerit & quispiam, sanguinis effusione occurrere nos putredini, quæ ob humoris caliditatẽ succedet.

Ad id est supra quodammodo satisfactũ, cum humoris ob pestilentis aëris corruptionem feruentis, misso sanguine caliditatem minime deleri nos asserebamus: Sed remedijs aduersis eam expugnari, nempe alterantibus, quæ in medici potestate non naturæ sunt, & quæ naturæ medicus, non ipsa sibi suppeditat. Falsum igitur est quod uulgo dictitant, ad humorum nostri corporis leniendos feruores, sanguinem educi oportere, exemplũq; plane ridiculum quod ad id excogitarunt, ut dolio cõprehensum uinum feruere desinit, aliquantulum si dematur, sic & detracto sanguine, humoris feruorem cõpesci. Etenim uini feruor, aërisintromißi frigiditate, ut eorum quæ bulliunt omniũ, iniecta frigida, cohibetur: non uero ob tantulum id, quod effundimus: Atque adeo, quamuis nõnihil mitescat hac ratione, prorsus tamen non extinguitur. Rursum enim post efferuescunt & uinũ cum aëri præcluseris aditũ,

&

& quæ ad ignem bulliunt omnia, cùm nihil præterea frigidæ instillabitur. Itaque uenà incidēda minime est, nec in omnibus sine discrimine, quod percussoris est Lanistæ, aut gladiatoris, non medici: nec alias, quin explicatæ supra conditiones hortentur. Hactenus de uenæ sectione, post quam τὴν φαρμακείαν, nos ordine collocabimus, & quod superiore ad perniciem, salutémue minoris momenti non sit: & quod medicis omnibus frequens, omnibus recte non constituatur, magna artis medicæ infamia: non tacendo hominum detrimento, quorum saluti medicina præest. In pharmacis mandandis, ea medicorum sit animaduersio, & prudentia, ne sæpius ac ualidioribus medicamentis hominum ualetudinem affligant. Præceps nāq; in uentrem solet esse, cum pestis imminet, humorum omnium decubitus, quē facile medicamētis nos prouocamus. Rem sic esse demonstrāt admodū crebra,

tum

tum temporis alui profluuia, biliosa, melancholica, & cuiusuis alius generis. quapropter clementiores imperandæ sunt. purgationes, è decocto Prunorum, Tamar Indorum, uiolariæ, Buglosßi, Cirsij, Mannæ, Iulepo Violato, sero lactis Caprini, decocto communi Braßicæ rubræ paululum incoctæ, iusculo Cicerum rubrorũ, Pisorum, Lenticulæ, Pulli, Galli ueteris ruffi, adiectis quæ adijci uoluit Mesues cap. de Gallo. Serum Caprinum noctem unam subdio ponitur: incoquuntur Lupulus, fumaria, Capillus Veneris, uiolæ, Tamarindi: Sena, Polypodium, Borrago. Leuiusculæ sunt hæ purgationes delicatis, uel pueris accommodæ. Iis diluitur, si uisum ita fuerit, Rhabarbarũ, Agaricus, Caßia, & huiusmodi reliqua. In corpore duriore, & cum è uenis trahendus humor est, nec ab Eccoprotico satis agitur, ante purgationem dandum Pepticon, humoris naturæ conueniens, quale est Oxysacchara,

ra, aut Syrupus acetosus, compositus uel simplex, addito uel Syrupo de Endiuia, uel Syrupo Byzantino, qui obstructiones expedit, & sanguinem purgat, uel Syrupo è Fumaria, qui & idem præstat, & ne humores incendantur probibet: aut si mauis hanc formulã sequitor, ut tuopte ingenio post, eiusdẽ rationis præscribere medicamẽta scias. Reci. *radicis* Rusci, Asparagi, Graminis, Tunici, *ana, unc.3.* Capill. *ueneris,* Lupuli, Buglossi, Borrag. Endiuiæ, Fumariæ, Hyssopi, Oxalidis, *ana.m.1.4. seminũ frig. maiorũ, &* Anisi, *ana unc.1.* Pruna. 20. Glycyrrhizæ, *pulpæ* Passarũ, *ana unc.ß. Ordei.p.1. cũ Sacchari libr.1. succi* Punicorũ, *unc.3. succi* Cydoniorũ, Citrij, Limonũ, *ana.q.1. fiat Syrupus perfecte cõctus aromatizetur, cũ* Cinamomi, Maceris, Caryophyllorũ, *ana drac.ß.* Eius *unc. 2. cũ totidẽ aquæ* Buglossi, & Oxalidis, *quoto quoq; die matutino bibãtur, boris tribus ante prãdiũ.* Partis *alicuius uel imbecilli*

beciIli

becillitas, uel quiuis affectus priuatim si spectandus sit, licet superioribus adscribere quæ illi peculiariter subueniunt. Sunt qui alijs omnibus Caßiam anteferant: quod & Auicennas, & Mesues quouis morbo, temperamẽto, regione, ætate, hora grauidis etiam ac pueris innoxie dari scripserint, quoniam leuißimè purgat. Cæterum & mea quidem, & illorum omnium sententia, quorum uel scriptis, uel oratione, sum eruditus, Caßia non ubique ac sine discrimine usurpãda est. Primum quia ut aduersus Thessalũ, Galenus tertio Methodi censebat, ualetudinis uel tuendæ uel reparandæ, non idem modus est in omnibus: maxime cùm tãta sit temperationum diuersitas: deinde quia Caßiæ una uel altera uncia, decocti uel liquoris uncijs octo, diluitur. Quare tota potio multitudine, spißitate, colore, odore, sapore alijs displicet, alijs in uomitionem effundit uentriculum, adeo ut ad solam mentionem, plerique

rique nauſeent:plerique ſemel ſi guſta= runt,omnem in poſterum purgationem abhorreant. Tertio quia tametſi Meſues abundantius paulo Caßiam laudauerit, uiſceribus tamen imbecillis, ac lubricis uentriculóq; ac inteſtinis ſiccioribus no= cere,quoniam ab ijs minime detinetur & ſerò admodum purgare, ualdéq; impo= tenter,idem codē capite admonuit. Quam obrem ad hanc multiplicem incōmodita- tem remedium quoq; multiplex acuti, & ſolertes uiri tandem inuenerunt, additis Rhabarb. Myrob. flau. ſemine Oxyacan- thes,aluus ſi præter modū lubrica fuerit, & facilis. Sin tardior & pigrior,Oleo Amygdalarū dulcium,uel Syrupo uiola- to:ne quid uentriculū ac inteſtina lædat: Cinamomo,Caryophyllis,Maſtiche,qui- bus odora fit & ob id grata,& ut purget citius,pulpa uuarū paſſarū,Prunis tamar indis: adhibito delectu,ut ea potius addā= tur quæ ,p tpe,ac occaſione rerū magis cō

gru

gruũt:hæc qui nescit, ille Caßia non tẽpestiuè data nunc fastidiũ, & nauseã mouet, nunc appetentiam hebetat, nunc uentris profluuium molestũ inducit, historia memorabili Cardinalis cuiusdam, cuius intestina lubrica prorsus, & debilia fuerunt. Ei cum imperitus medicus Caßiæ unciam unam dedisset, aluus sic erupit, ut unius diei spacio miser quinquagesies desederit, ac dysenteria, & Tenesmo obierit tandem. Id uidelicet fuit quod Auicennas scripsit.lib.2.bilem ustam à Caßia deijci. Itaque ea sumpta intestina sicca, & macilenta exulcerari, ob humoris caliditatem & siccitatem, fierique dysenteriam. Est igitur prudenter, & corporum quæ inanimus dispositio, & pharmacorum circumspicienda uel facilitas, uel difficultas, priusquam nos ad purgationem ægros cogamus. Astute, & sapienter Monpessulani prima mensa dari Caßiam uolunt. Sic enim fluxus alui periculum uitatur,

Euentus à cassia exhibitione

tatur, quoniam à cibo extra uentriculum pulsa totum uentrem celeriter permeat. In pueris, ac teneris corporibus, seu iam febris uel sola, uel cum tuberculis aut Carbũculo insederit, uel si febris nulla est, & aluus resistit, hoc bonum: Recip. Pruna. 20 florum uiolarum, Buglossi, Borraginis, ana p. 1. Tamarind. unci. ß. pulpæ Passarum Glycyrrhizæ ana unc. ß. fiat dõ. in qua dissolue Iulep uiolati. 4. ß. Rhabarbari noctem totam in aqua Endiuiæ macerati drac. ß. spicæ Nardi scrup. 1. aut quoniam Rhabarbari quidam amarorem fugiunt, Myrobalanorum flauarum macceratarum ut supra uel ipso decocto, uel Syrupo uiolato drac. iij. uel Mannæ granatæ unc. 1. In iuuenibus ac ætate cõsistẽtibus, hoc cõfert. Reci. pulpæ Passarum unc. 1. trium florum communium, ana. p. 1. Caryophyllorum, Cinamomi Maceris ana scrup. 1. Senæ Polypodij, Epithymi, ana drachmas duas: fiat deco. in qua dissolue,

Mannæ unciam unã, Iulep uiolati unciam unam. Fiat *potus, qui aſpectu, odore, ſapore, ægros inuitabit.* Mitius *id ſi fuerit, adijce in iuuenibus, electuarij de ſucco* Roſarum: *in natu grandioribus, diacarthami, drachmã unã, aut loco* Mãnæ, *ſi ex ijs quæ ſupra memorauimus nihil uetat,* Caßiam *imperato, cum* Rhab. *drachma una, &* Spicæ *ſcrup. unico uel cum* Prunis, Myxis, *zizyphis*, Paßis, Caricis, *ſi aluum magis à* Caßia *uelis duci.* De*cocto commodè adſcripſeris* Fumariam, Borraginem, Bugloſſum, Lupulum. I*ſthæc cum nos* Prophylactices *cauſſa præſcribimus, deſignandum tempus eſt, præſertim in fortunis, opibus, & dignitate claris hominibus, quo ſumantur quemadmodum in ſanguinis mißione, ſupra faciundum eſſe, fuit à nobis explicatum.* Nec *enim bibenda hæc cum* La*ctea uia* Luna *ingreditur, aut plena eſt, aut in animantium quæ ruminant ſignis* mo

moratur. Reuometur enim quod tum biberis, quod & accidere sæpißimè uidi, cùm apud Leonem foret Luna. Quod si prætereà nos obseruemus, ut Cholagogũ detur quo tempore in cœlo Mars siccis & calidis humoribus præpositus: melancholiam purgans, quo tempore Saturnus, qui præsidet frigidis & siccis, parum ualebunt ac in reliqua sydera potestatis & imperij nihil obtinebunt, purgationes fœlicius, prosperius, ac facilius procedent, quod Arnaldus libro de Astrologia necessaria medico, & Ptolemæus in Centiloquio, eiusq; interpres Hali, testati sunt. Intereà uerò clystere leui, tertio aut septimo quoque die subiecto, aluus mollienda est. Quibus enim sæpius aluus clystere proluitur, ijs officium natura non sponte facere consueuit, sed medicamento laceßita. Clyster esto huiusce modi Rec. 4. emollientium, Borrag: Buglos. foliorum Absinthij, añ. m. 1. Pruna 20. Ordei, & Furfuris

ana,p.1.4.ſeminum frig. maiorũ, & minorum ana unc.ß.fiat dõ.In colatura diſſolue Caßiæ unc.1. Hieræ picræ unc.ß. Mellis,uiol.4.ß.olei de lilio æſtate:Amygda.dulc.hyeme unc.ij.ſucci Betæ uel Mercurialis,unc.iij.Salis drachm.1.In ſenibus Agarici drach.1.Salis foßitij,drac ß. aut in decocti formula adde ſeminis Carthami,contuſi unc.1.fiat clyſter. Hoc quidem pacto in uarijs temperamentis,urianda ſunt Cathartica, ijs ſi quis locus fuerit: exempli gratia pro Agarico in bilioſis, electa. de ſucco Roſ. drachm.1. iuuerit: hocque modo in omnibus cæteris iudicandum eſt.Alia multa huius claßis remedia perſequi ac recitare queam,ſed quibus carere poſſumus, communium Pilularum uſus frequens ſi fuerit.Eæ componuntur Aloe,croco & Myrrha,omnibus,omniq; tempore utiles,exceptis iis,quibus aut recludi ſolent Mariſcæ, aut menſes largius emanare.Nec propterea tamẽ his nõ dã-

tur

tur, sed alia diligentia paratæ, Rosacca enim in qua Tragachantum maceratũ est, Aloë lauatur, donec obtusus fuerit summus ille amaror, quo uenarum oscula punguntur, ac patescunt, cientúrq; fluxiones. In omnibus alijs harũ utilitas est prorsus maxima, non ideo tantum quod putredini obstant, sed & quod partim humores corruptos uitiosos, ad inducendam pestem commodos, leuiter deducunt. Partim quod reseratis Mariscis, cum sanguine tument, ac inflantur, melancholicos, crassos, ac fęculentos humores, unde carbunculis materia suggeritur, expellũt: quod citius fit, ac promptius, si aut folijs Ficus, aut aspero panniculo, Cepæ succo madido, confricentur aliquãdiu Mariscæ. Iisdem & tardiores fœminarũ menstrui fluxus accelerantur, cũ alijs remedijs, quæ in ea re prosunt. ut est hominum uarius mos. Pilulas deuorare si quis minime poßit, ei puluisculũ aloës, Croci, Myrrhæ

dato è iusculo quodam aut aqua Buglossi, si nec frigidior, nec calidior tempestas est, ex aqua Melissophylli hyeme, Oxalidis, æstate, uel Rosacea, nunquam è uino, ut ex medicis temulenti censent: quoniam ieiunis, uinum summopere noxium est, autore Galeno comment. Aphor. 21. libri 2. Nec uerò ijs assentior, qui horum puluisculum pluris quàm formatos ex eo globulos, æstimant: Primum quoniam sapore puluisculus est tam ingrato, abominando, ac insuaui, ob amarorem, ut uel in biduum gustatum uitiet, appetentiámque ciborum medico tum temporis summa cura tuendam, auertat, subruat, prosternet. Deinde quod puluisculo magis uentriculi firmitas labat: iecinoris quæ dulcibus oblectatur caro, magis offenditur: uenarum oscula magis lancinantur, ac uellicantur. Quàobrem ad Hydropem opportunis, medici ne is unquam daretur puluisculus, sanxerunt; Magis item &

 men

menstruas purgationes, & mariscarum agit profluuia. Nec enim Aloes in globulos coactæ uis tam integra ad iecur usque uenit, quàm si puluisculus bibatur. Quod si Aloen, priusquam in puluisculum teratur, ut huic periculo sit prouisum, lauemus, eluta quoq; fuerit eius uis Cathartica, quæ in aluo modice pellenda requiritur, sicq; uanum, cassum, & effœtum medicamentum fuerit. Adde globulos diutius in uentriculo retineri, & cum illic diu sunt, in cor uim salutarem commodius transfundere, qua recreatum, & confirmatum, à corrupti uitiosiq; aëris noxa, animosius se defendat. Adde & globulis, prauos humores semotioribus locis euocari: Cuius rei caussa, Mesues cũ Aloe miscenda esse, quæ trahendis humoribus idonea sunt, alia uoluit, ca. de Aloe. Huc facit, quod & idẽ, & Auicẽnas memoriæ tradiderunt, Aloen potam, maximè frigida tempestate, pertimescenda molestia, sanguinem elidere. Simile est, quod alibi

prodidit Auicennas, matutino, & uesperi globulos ex Aloe, cum ijs quæ illius emendant uitia, ob id utiliter sumi, quod uentrẽ moueãt, nec cibum corrumpunt. Nõ enim cum cibo, ut puluisculos immisceri. Hoc dicto Auicẽnæ liquet puluisculum ex Aloe, cibos in uentriculo corrumpere, non item globulos, ex ea digestos. Apponetur & ratio ex Philosophia deprompta, cæteris nec minus certa, nec minus urgens: Quandoquidem simplicium permixtione compositorum fit temperatio, cuius potestate ea uis includitur, quam nos occultam proprietatem uocamus, quanto præstantior natura simplicium fuerit, tanto excellentior est temperatura, & ea quæ in temperatura sita est occulta proprietas, compositorum qualitatibusq; primis, ac secundis efficacior ad quiduis peragendũ. Permixtionem uerò Philosophi nominant, tã partium inter se compositionẽ, ut id quod in alio minimum est, minutißimam alius

port

portiunculam tangat, & cohærescens amplectatur, hanc quidem solius numinis, ac Naturæ potentia, quæ numinis mandata uelut exequitur, absoluit. Ars uerò quantum nobis concessum est adumbrat, & imitatur. Eius igitur primo loco uis insignis est, quod natura commiscuit: deinde quod ad natiuæ permixtionis exemplum, artis industria composuit. Quod si puluisculi nulla est permixtio, uel artificiosa, uel naturalis, quoniam eius particulæ diffluunt, dilabuntur, disgregantur, non coniunctæ, connexæ, commissæ in unitatem coeunt, nulla est itidem eius occulta proprietas, nullus esse potest effectus, quem occultæ proprietati nos adscribimus, aut si quis est ille certè longè quàm in globulis minor, ac leuior. Itaque globulorum eadem uis est, ad quæ & puluisculi: prætereáque uim illam adipiscuntur, quam importat mixtio. Eorum enim quæ miscentur, duplicem esse uim Aui-

cennas prodidit libello de uiribus cordis, alteram eorum quæ sigillatim in mixtionem ueniunt, alteram quæ inducitur mixtione. Obstrepet aliquis istud à nemine priscorum medicorum fuisse decretum, laudabitq; Galenum, Auicennam Rasim, Mesuem, & reliquum uno uerbo medicorum senatum, quorum nullus id pronuntiauerit. Cæterùm ex Topicis Aristotelis nós didicimus in argumentis quæ nituntur uirorum celebrium autoritate, negationes à dialecticis recusari, atque adeo etiam affirmationes, illas iusta ratio ni fulciat. Ad me redeo. Pilularum communium is usus est, ut oriente Sole matutino, ex Auicennæ sententia, ad unam drachmam, ex Rasis scriptis, ad scrupu. 2. deglutiantur: sic enim toto die fuerimus tuti, ac præsertim meridie, quo tempore, syderum nocens affluxus, maximè dispergitur: quamquam etiam uesperi sumere liceat, sed inanito uentriculo,

lo, cùm à prandio iam cibus descenderit. Rasim ego quidem non audiendum puto, qui scrupu. 2. quoto quoque die sumi iubet, & quoniam de alui fluxu periculum fuerit, & quoniam assuetis, natura minus laceßitur. Expedierit fortasse magis ut quauis dierum hebdomade, drachma una sumatur, in globulos nouem dispertita, hebdomadísque primo die quinque: tertio tres: quinto unica: uel ratione contraria, primo unica, tertio tres, quinto quinque hauriantur. Impari ego numero consultò globulos præscripsi, quoniam eorum ferè omnium impar numerus est, à quibus uniuersum gubernatur, rerúmque naturalium mutationes, uicißitudo, effectus, caussæ dispensantur. Id ostendunt errantes stellæ impares, Lunæ conuersio, imparibus diebus lumine Solis orbæ, illustratæ plenilunijs, bis arcuatæ: decretorij morborum dies impari numero præfiniti: corporũ

porum triplex dimenſio,ternarius à Py=
thagora mirificis laudibus commendatus,
quò deos etiam, ac res diuinas cēſeri idem
opinatus eſt : Et *alia id genus multa quæ*
ſciens omitto, ne ſim prolixior. Al*ternis*
ijs diebus, quibus globuli non ſumentur,
danda nonnũquã Theriaces.*dra.ß.ut eius*
calor mitigetur,è Ro*ſacea, uel* Oxalidis,
uel Bugloßi *aqua, æſtate : hyeme ex aqua*
Meliſſophylli. L*ædit ea ſæpius ſumpta*
pueros iuuenes & ſenes,decrepitos. Hye
me iuuat magis, & pituitoſos,quàm bilio
*ſos.*E' *uino minimè bibenda eſt,quoniam*
ut ſupra nos expoſuimus,noxium ieiunis
*uinum eſt,ac neruis inimicum.*Idem *& de*
Mithridatio *arbitrandum : utraque enim*
hæc Antidotus *aduerſus uenena compa=*
ratur:quamquam ut ijs obſiſteretur, plus
in Theriace *laboratum eſt,adiectis etiam,*
uenenis,& Viperis, *quæ alia uenena ſo=*
pirent,ac frangerent. Proinde Theriacen
Galenus,*libro quinto de* Simplicibus *me=*
diam

diam esse inter uenenum, & corporis humani constitutionem uoluit: Auerrhous libello de Theriaca prorsus uenenatã, idq́; colligit ex eorum natura, quæ Theriacen constituunt: Id ipsum est quod Arnaldus libro de moranda senectute, reliquit scriptũ ab opifice effectoreq́; uniuersi, rebus fermè singulis id datum, quo nos & lædunt & iuuant, eaq́; sic coniuncta, ut esset quo lædentium noxa reprimeretur. Pro Theriaca iuuenibus, & ijs quos febris occupauit, Rhodosaccharũ utilius est, æstate præsertim. Sicci ac liquore nullo madentes globuli, deuorandi sunt. Id uerò si molestius quibusdam fuerit, eos uuæ passæ acino inuerso, ut labantur facilius, aut crustulis Rosacea madidis, Nebulas uocant, obuoluito: aut saccharo, quod in tragematis fieri solet, obducito, aut tubulo argenteo indito faucibus demittito, aut Syrupo uiolaceo, ac de limonibus intingito. Pilularum communium hæc formula est.

est. Rec. Aloes Hepaticæ, unc. ß. Myrrhæ. drach. 2. Croci boni non adulterati. dra. 1. cum Syrupo de Absinthio uel Oxalide, uel Omphacio, uel Acetato, uel de Buglosso, ut pro anni tempore & corporis temperatura magis conferent, formetur globus. Differt ab hac Rasis descriptio, quæ sic habet. Reci. Aloes partem unam, Croci, Myrrhæ, añ. partem dimidiam. qua descriptione in singulis drachmis, circiter scrupulus unus est Croci. Is autem modus, paulò abundantior fuerit, quoniam Crocus in uenena refertur, si copiosius offeramus. Spiritus enim foras euocatos discutit, ac dißipat. Septimo quoq; die. drac. 1. pulueris electuarij de Bolo, cum Pulli iusculo, uel aqua Scabiosæ, Arbuti, Oxalidis, Buglosßi bibenda, pueris potißimum. Eius autem hæc est descriptio. Reci. Boli Armeniæ selectæ, unc. ß. radicis Tormētillæ, drac. 2. radicis Tunici, drac. 3. Sacchari, quantum satis est, fiat puluis. Aduersus uenena calida pariter, & frigida remediū

est.

eſt ſingulare, puluiſculus Auicennæ libel-
lo de uiribus cordis, quem hoc modo nos
diſponemus rectè. Recip. Ambræ ſelectæ
drac. 1. Moſchi electi. drac. ß. Caphuræ.
ſcr. 1. fiat puluiſculus, excipiatur ſucco, uel
Bugloßi, uel Oxalidis, formetur inde glo-
bulus. Quod enim iã admonuimus, duplo
ualidius eſt globoſum Pharmacũ, pului-
ſculo quouis. Aliud eſt quod ſequitur, ſu-
periori haud ignobilius. Reci. Trociſco-
rũ è Lemnio ſigillo. drac. 2. Troch. è. Spo
dio dra. 1. pulueris elect. de Bolo, & Tria
ſantali, añ. unc. 1. ß. pulueris electuarij de
gemmis ſcru. 2. pulueris diamarg. frigidi,
ſcrup. 2. cõſeruæ Roſarũ unc. 1. Sacchari,
Roſa. unc. ß. ſucci Bugloßi, & Scabioſæ,
añ. unc. 1. miſce omnia ſimul: fiat globulus
aurea bractea deauratus. Detur quotidie
drac. 1. Alius eſt & puluiſculus, clarior
multo ſuperioribus, è gẽmis Bezoardicis:
gẽmas ſic uocauit antiquitas, cõtra uenenũ
efficaces. Illas Auicẽnas lib. 2. et Auẽzoar
libro quem inſcripſit Theiſir, Smaragdos
expo-

exponunt: Hyacinthos alij, sic lætitiã conciliantes ut eos etiam (licet Bezoar Gemma sit cõtra uenena pollens & insignis) qui continẽt ore, supra quàm credas exhilarent: Serapio Topazium, uenenis aduersissimum, ad id etiam Theriace ualentius. Nam cum uenenato caseo Arnaldus Theriacen imposuisset, uenenum ab eo solummodò propelli antrorsum uidit, cùm Topazium & antrorsum protrudat sumptum, & ad se illiciat admotum. Quare si puncturis, aut morsibus serpentum, ut in ictis à Scorpione, aut Carbunculis Tuberculisq; uel affricetur, uel illinatur, uel infrietur, foras excitur uenenum, quod nos aliquoties experti sumus, dum Topazio summi Pontificis annulo incluso, bis morbis auxiliaremur. Topazium ergo nunc appensum collo gestatur, nunc ore suggitur, nunc cibis apprimitur. Sic enim prorsus uenenum obliteratur innocẽsq; fit. Ex ijs gemmis uel priuatim singulis, uel simul omni

omnibus contritis minutißime, ablutisq́; Rosacea, ut in Cyano lapide, & Armenico Mesues statuit; puluisculus fit, quem Bezoaricum appellamus: maximóque in pretio habemus. Paratur & alius nullo ad hæc remedia inferior, ex auro puro puto, obryzo: serico nullodum colore infecto. Margaritis non pertusis pellucidis, læuibus: quæ omnia tria mirabiliter sedem ac domicilium spirituum, corroborant, palantes ipsos conducunt: etsi caliginosi fuerint, tenebras fugant; ut & Carbunculi genera omnia, quæ grauatum Rubinum Palladium & δι' ἀντονομασίαν Carbunculum nuncupant. Corallus uterque: gemma quæ dissecto aspidis capite eruitur, diuitum, ac principum hominum thesauris hæc conduntur, maximiq́; censentur. Orientis, profundi maris, ac exterarum nationũ opes, maximo uitæ discrimine quæsitæ. Horum si re tenui facultas deest, quotidie matutino sumenda drac.

confectionis è Rhodoſaccharo, conſerua Bugloßi, Oxalidis, cortice Citri, conditi Saccharo, Bolo Armenia, Radice Tormentillæ, ac Tunici, aurea bractea contectæ: Dilutæ ſi placet ſucco, uel Citri, uel Limonum, aqua Bugloßi, Arbuti, Scabioſæ, Oxalidis. Ex eadẽ confectione globuli formãtur, auroq; operiũtur. Gregorij ſummi pontifi. tempeſtate, quod ſequitur medicamentũ nobilißimum fuit. Recip. Spodij boni, omniũ Sãtalorum, Coralli utriuſq;, Galangæ, Roſarũ rubrarũ, Tormentillæ, Tunici, Dictamni, Doronici, Boli Armeniæ, Lẽnij ſigilli, Tragacanthi ana unc. ß. Nucis Moſchatæ, Maceris, Glycyrrhizæ, ſeminis Bombacis repurgati, ana drac. 2. Cinamomi ſelecti unciam 1. Zingiberis drach. 2 os è corde cerui. 1. ſeminis Aniſi, Endiuiæ, Lactucæ, Oxalidis, Portulacæ, ana drac. 1. Caphuræ, drac. ß. fiat puluiſculus. Cæterum quoniam in tanto harum confectionum apparatu, uix intelligitur quem

quem modum illarum autores præstituerint qualitatum & agentium & patientium quæ in simplicibus sunt, portione eorum inter se, moderãdarũ: nihilo magis quæ totius uis post cõpositionẽ simpliciũ existat: ac multo minimè quænã occulta proprietas post cõpositionẽ emergat, medicos præsertim lõgo rerum usu hæc iudicare nondũ exercitatos, remedijs à ueteribus summa diligentia perscriptis, iustoq; simpliciũ modo tẽperatis, aut simplicibus ipsis uti malim, quorũ & primas uires, et abditam proprietatem, ac certũ quo danda sunt modum, comperimus, ut in Catharticis & Cardiacis uidere est, quàm inusitata audacius, & confidentius nouare, præsertim nullis simplicibus cõgestis: hacq; in re sibi plus licere arbitrati, quàm olim sibi grauißimi et doctißimi uiri permiserũt, qui traditis per manus aliorũ inuentis, sua nõ nisi magna religione publicauerunt. Est in odoribus magnum quoq;

auxilium, uario tempore diuersis, æstate frigidioribus, calidioribus hyeme, quales hi sunt. Recip. Rosarum, florum, Violarum, & Nymphææ ana p. 1. omnium Santalorum, Cocci Baphici, corticis Citri, ana drach. 1. Caphuræ, drach. ß. terito in puluisculum. Panniculo lineo mundo, uel sericeo Coccineo, inuoluito: aut Tragacantho Rosacea diluto, in globum formato. olfacito sæpe. Recip. Ladani selecti, unc. 1. Thuris, Mastiches, Styracis, Calamithæ, Cariophyllorũ, Xyloaloës, Rosarum, Santalorum omnium, ana drach. 2. gummi Iuniperi, florum Rosmarini, Stœchadis, Amaraci, Nucis Cypreßi, & Moschatæ seminis Ocimi, ana drac. 1. ß. Ambræ, Moschi, Caphuræ ana scrup. 1. omnia in puluisculum terito, ex quo & paululo Terebinthinæ, ac Ladani puri, uino liquati, partim ad suffitum pastillos partim globulum fingito, admoueto sæpe naribus: hyeme, & si nulla febris est, si pitui

tos

zosum cerebrum. Ex optimis quibusq; lecta sunt, aduersus pestis offensas auxilia, quæ sequuntur. Recip. Margaritarum drach. 1. limaturæ Auri, drach. ß. omnium Santalorum, Doronici, ana drach. 2. Rosarum unc. ß. 4. seminum frig. maior. seminis Citri, Oxalidis, & Coriãdri, ana drac. 1. rad. Tormẽtillæ, Tunici, Dictamni Xyloaloës, Serici crudi, Ambræ, Boli Armeniæ, ana scrupu. 2. Cinamomi interioris Schœnanthi, ramentorũ Eboris, Spodij, oßis è corde Cerui, Coralli utriusque, ramentorum cornu unicornis ana scrup. 1. Caphuræ scrup. ß. conseruæ Rosarum, & Buglo. ana unc. 1. corticis Citri cõditi Saccharo unc. 1. conseruæ Oxalidis, & Nymphææ, pulpæ Tamar. Indorum minutim cõcisæ ana unc. ß. auri bracteas 5. Sacchari, Rosacea dissoluti, quod sufficit. Fiat conditum, in tessellas dispertitum, quæ bracteis aureis tegantur. Dissoluitur & Saccharum succo Cydoniorum, Limonum,

Citriorum, Arancij, Oxalidis, Buglosſi. Sunt qui addant Hyacinthos, Smaragdos, Topazium, Saphirum, Rubinum, Granatum, quod equidem laudarem, ſi uſquam in tabernis probi, ac non artificio uel interpollati, uel concinnati, uel effcti ueneant. Vnicornis cornu quem uidetur Aelianus, in Aſino indico nobis oſtendiſſe, tametſi ueteres medici ſcriptis non celebrauerint, uenenis tamen obſiſtit & Cardiacon eſt, perinde ac Cerui cornu, quod lumbricos interficit, fœminarum conceptus iuuat, & ſi quod aliud Cardiacon eſt. Idem ipſum & de Caphura ſentiendum, cuius uires poſt ætatē Galeni, ac Dioſcoridis, ut & aliorū quæ non pauca ſunt, Hali perſpectas fuiſſe tradit à poſteris, in morbis peſtilentibus calidis: ſicut & in frigidis Moſchi. Eſt alia quoque Antidotus, medicis Bononienſibus, Monpeſſulanis, Pariſienſibus, commendata omnium magna conſenſio-

ne

ne,cuius inuentorem ac ſcriptorem Arnaldum ferunt:ea ſic habet. Recip. ſeminis Iuniperi,unc.1.Caryophyllorum,Maceris, Nucis Moſchatæ, Zingiberis, Zedoariæ, Galangæ,ana drachm.1.utriuſque Ariſtolochiæ, Gentianæ, Tormentillæ,Tunici,Radicis, Dictamni,Helenij, Been utriuſq;, Ireos, Doronici ana drac. 2.Ruthæ,Balſamitæ,Saluiæ,Scabioſæ,Pulegij Ceruini,Mẽthæ,ana drac.1. Baccarum,Lauri,ſeminis Oxalidis,Ocymi, Citrij, Maſtiches, Thuris, Boli Armeniæ, Lemnij ſigilli,Spodij,oßis è corde Cerui, ramentorum Eboris,cornu Cerui,& unicornis,ana ſcrup.5.utrarumq; Margaritarum,Coralli utriuſque,omnium Santalorũ,Roſarum ana ſcrup.2.Rubinorum, Hyacinthorũ,Topazij,Saphiri,ana ſcru. 2.conſeruæ,Roſarum,Buglosſi,Oxalidis, corticis Citri,conditi Tamarindorũ,ana drac.3.Theriaces, unc.1.Caphuræ,drac.1. auri bracteas.10.Sacchari diſſoluti,Roſa-

Antidotus Arnaldi

cea & aqua Arbuti quod sufficit: fiat electuariũ in tessulas discissum, uel cũ succis antea numeratis, aut Syrupo de Limonibus, qui hoc in loco solus etiam, Antidoti uice fuerit, fiat opiata: detur quotidie matutino drach. i. si calidius medicamentum paulo existimabis, auctis frigidis, calidis subtractis, prout ipse temporis articulus suadebit. Hoc *remedio uita multorum salusq; ac incolumitas seruata est. Sunt & in officinis ad hæc auxilia, destinatæ confectiones, quales* Tryphera Saracenica, Hali, *&* Mesue *testibus: electuarium de gemmis non nisi principum uirorum sumptu comparãdum, confectio* Alchermes, Aromaticũ, Rosatum, *maius aut* Saccharo, *aut* Melle *conditum,* Diamargariton, *hyeme calidum: frigidũ æstate, diambra, dianthos, electuarium Galeni exhilarans* Triasantalũ, Diarhodon, Abb. Trochisci *è spodio,* Diacorállω, *è* Baccis Oxyachãtes, *è terra* Lemnia, Diarhodon, *cõseruæ,*

ant

*antea memoratæ.*Horum *etiã puluiſculus priuſquam in certum confectionis genus aſſumptum ſit,datur unius drach.*ponde*re,eodem,quo & ſuperiora,conſilio.* Car*diaca hæc omnia ſunt,putredineq́; & incendium humorum ſedant, obſtantq́;,ne ſpiritus euaneſcant.*Libet *&* hic Arnaldi *remedium apponere,ſed orationis obſcuritate eadem celatum qua ille abſtrudendum iußit,uel quod non niſi maxima impenſa id perueſtigamus,uel quod multitudini hæc inaudita ridẽtur ut abſurda, aut quaſi uana deſpiciuntur,uel quod dijs iniuriam facit,eorumq́; numen uiolat, quẽadmodũ* Ariſtoteles *ad* Alexandrũ *epiſtola quadam ſcripſit,qui hæc arcana, conſcius eorum,uulgo temerãda prophanandaq́; loquacitate ſua exhibet,id uidelicet quinque rebus* conſtat. Harum *prima in uiſceribus terræ fouetur:* Altera *in mari natat:Tertia inſidet terræ:Quarta in aëre uehitur: Quinta nobiliſsimum id eſt à*

ſuperioribus æditũ, ſatũ, genitũ, procreatum animal, ſempiternæ uitæ, nũquam ſeneſcens, reparans ſe Phœnicis more, dijs amicum, ſtellis familiare, humani generis columen, uitæ noſtræ tutela, omniũ rerum quas optare, cupere, uotis expetere licet promptuarium, penus, ταμεῖον γάλακτος. In iuuenibus & bilioſis, liquidis perfuſionibus, Epithemata uocant, interiorũ partiũ calor mulcetur. Ea nos ſic imperamus. Recip. aquæ Solani, Endiuiæ, Lactucæ, Plantaginis, Cucurbitæ, Abſinthij, ana q. 1. Aceti Roſacei unc. 2. Pulueris omniũ Santalorum, & Roſarum ana drach. 1. Calami Aromatici, Schœnãthi, Cyperi, ana drac. ß. Caphuræ, ſcrup. 1. fiat Epithema in calidã tempeſtatẽ, & cum febris tenet. Adde et Croci paululũ, ni moleſtũ ſit, quod luteo id eſt ſuo colore ueſtes fœtat. Adhibẽdum hoc ueſperi, ac matutino, & ſi quãdo noctu uigiliæ torqueãt, impetrãdo ſomno: amouendũq; ſumpto cibo, quoad in

uent


Epitemata

uentriculo coctus is fuerit. Sunt qui pulvisculis proxime scriptis sacculum uel Sericeum, uel Lineum oppletum Rosacea mergunt, ac madentem imponunt Hypochondrio dextro, & cum aruerit, madefaciunt rursus, denuoq; admouent quousque sat refrigeratum Hepar fuisse arbitrentur. Pro aquis superioribus, alijs herbarũ succi præscribuntur, Solani, Endiuiæ, Lactucæ, Cucurbitæ, Portulacæ, Buglossi, atque similiũ. Huius ergo Prophylactices, quãtũ à nostra disputatione, huc usq; perducta colligi potest, summa fuerit, sanguinem expurgare & aptis medicamẽtis obuiam ire putredini. Id præstant innumerabilia propemodum auxilia. hæc simplicia, illa composita. In simplicibus eximia sunt Citrij & cortex, & semẽ: radix Tormẽtillæ, Gẽtianæ, Ireos, Dictãni, Tunici, Lẽnia terra, Bolus, Armenia, Sericũ crudũ, Cocus, Baphica, Aurũ, Margaritæ, argẽtũ, os è corde cerui Ambra, caphura, moschus,

ſchus, Xyloaloe, Endiuia, Caßia, Myrobalanus flaua, & Cepula conditæ, ſuccus Fumariæ, Endiuiæ, Lupuli, Bugloßi, Borraginis, Hyperici, Cardiaca omnia quæ recenſuerunt, Auicennas libello de uiribus cordis, ac capite de uenenis, lib. 4. Arnaldus, libro de ſenectute moranda, & uita Philoſophorum. In compoſitis egregia ſunt, pilulæ cõmunes, Mithridatium. Theriace & Andromachi & diateſſarωn, puluis de Bolo, puluis Bezoaricus, puluis de gemmis, & omnia cætera de quibus ſupra mentio habita eſt. Excellit tamen omnia præſtans, & diuinũ illud Arnaldi remedium, quod ambiguitate orationis intricatum, non ubiuis explicandũ eſſe, antea nos diximus.

*

D E



DE CVRATIONE MORBORVM PESTILENTIVM.

LIBER III.



Vrationẽ morborum pestilẽtium priusquam ingrediamur, quæ solẽt in quæstionem uerti, ac inter medicos disceptari, nos ea edisseremus. Primum quid sit pestis: Mox quot, & quales morbi pestiferi. Tum febris pestilens, Carbũculi ac reliquorum tumorũ, symptoma ne sit: an ij potius huius. Præterea febres ne omnes pestilentes esse poßint, deinde morbi omnes pestilentes contagiosi sint nec ne: & qui ex ijs magis cõtagione obrepãt. Hæc ordi ne

ne cũ exposuerimus, clarior, ac dilucidior curãdi tota ratio futura est. Morbus quidem is pestilens est, quem uel à superioribus uel ab inferioribus caussis uel ab utrisque uitiatus, corruptus, deprauatus aër intulit. Sic Auicennas libr. 4. uisus est intellexisse, cum de peste uerba faceret. Qui ob has caussas aër deterior est, à nobis cum spiritum ducimus, acceptus, recta in cor illabitur. eiúsque spiritus uitiat, calfacit, absumit, ac discuti primum: deinde consecutione quadam, humores ibi reconditos insana caliditate ac putredine facit uenenatos. Quæ igitur caussa pestis, ex aëris uitio primum extitit, in cordis spiritu proxime suæ progreßionis fundamenta iacit, móxque transit in continentes humores, qui ea corruptione in corde prius, deinde & in toto corpore uenenati fiunt. Morbi huius exordia, nẽpe aëris deprauationem, Hippocrates, Galenus, Auicennas, Rasis uiderunt, suisq; scriptis

ptis mandauerunt. Processum in spiritus ac humores, ij, qui nostra memoria florent, Gentilis, à Prasio, Bernardus Gordonius, Ioannes Iacobus, Ioannes à Tornamira, Iacobus à Rotundo, famosi medici, ac ingenij sui monumentis illustres, quos ut dignitas eorum postulat, honoris gratia nomino. Ex ea caussa quam triplicem constituimus, triplex quoque pestilentis morbi genus est, prout uenenum corporibus effusum, uel sæuius est, ac rapidius, uel pigrum, ac lentum. Superior caussa infesta, cùm sola est, morbis perquam acutis, ad septimum diem perimentibus, uel citius etiam, nos confli-ctamur, quales sunt febris uehemētissima, Carbunculi, Coli dolor, Eileos Synanche, Phrenitis, Pleuritis, Strāguria, dysenteria, quibus nos subuenimus proprijs illorū auxilijs, additis quæ ad uenenum pestilens faciunt. inferior caussa sola cum præcessit, diuturniores ac longiores morbi na-scunt

Pestis ea triplex

Causa superior

Causa inferior

ſcuntur quod propemodum Hippocrates *innuit,* Aph.16.*lib.*3.Eiuſmodi *ſunt* Pruritus,Scabies, *ſanioſum ulcus, humorum corruptela: partes corporis depaſcens, corroſio,interdum ſic ferox, ut à fœmore crus,à crure pes diſtrahatur: quod* Galenus *lib.*1.*de temperamentis, ex* Epidemicis Hippocratis, *uſuuenire iudicauit uertebrarũ luxatio,Synanchæ, uteri ſtrangulatus,alui profluuia,* Hæmitritæi *lætales, renum, hepatis, uentriculi, & aliorum uiſcerum inflammationes, ac tubercula,memoriæ iactura,& rerum præteritarum* obliuio: *quod* Galenus *addidit ex* Thucycide *capitulo tertio libro de* Symptomat. *differentijs.* Ambæ *uero cauſſæ peſtem ſi aduexerunt, ægritudines intercitiores ac tardiores mediæ contingunt, eiuſmodi ſunt febres, quæ altero tertioue, ſeptenario deſinũt: febres* συνεχεῖς. Hydrops *ex imbecilla concoctione, & id genus cætera.* His *de cauſſis, nimirum putreſc.*

*trescunt & incenduntur omnes ex æquo humores, magis tamen hic quàm ille: quod Hippocrates tacite significauit Aphorism.19.libro tertio.*Quapropter A- *uicennas, libro quarto dixit, in morbis pestilentibus, incidi uenam oportere, cum sanguis in uitio est: dari purgationem cum humores cæteri.* De *febre uero pestilente, sic habendum, eam nunc esse tuberculorum Symptoma, nunc illius ea.* Nonnunquam *enim febrem præire, sequi tubercula, priora nonnunquam esse tubercula, posteriorem febrem: illud tamen quàm hoc, nocentius.* Etenim *cum* Galeni *sententia octauo libro* Methodi, *febris peßima sit ex intemperaturis: quoniam totum corpus affligit, cæteræ aliquam solam ex eius partibus: & inter febres nulli pestilens cedat malignitate: si febris tuberculum excitauit, duplici malo æger uexatur, præsertim si morbi grauitate, die non decretorio, haud*

naturæ ui, & robore, tuberculi ea fuerit eruptio, quam ἐκ συμπτώματος γεγενημένης uocant. At uero ubi prodijt tuberculum, nulla dum molesta febre, si febris post assequatur, promittit id robur naturæ à se detrudentis, quæ superuacua sunt, & onerosa: præsertim cum id humorum decubitu, non collectione fit: & attollente se sponte natura, non aliunde Symptomatibus prouocata. At si quis ex Auicennæ dicto nobiscum disceptet, febres à tuberculis inductas, esse Diarias, non pestilentes: ille scito magna ex parte id uerum esse, non perpetuo. Continuas enim & intermittentes, putridas aliquando incessere, quod Hyppocrates declarauit, Aphor. 55. lib. 4. Nam cum is diceret febres omnes, ex Inguinum tumore profectas, malas esse præter Diarias, in uocabulo, omnes, quod patet latißime febres quasuis etiam pestilentes, comprehendit. Vanum est, & quod rixantur aliqui, febre

bres has ideo non esse pestilentes, quod Symptomata ut Bouillæ, *&* Exanthe*mata, quæ ab ijs excitantur : pestilentia non sint, quod ex illorum curatione patet.* At *si ex ijs tumoribus uenenati ac putridi halitus, in cor usque efferuntur, quæ febris pestilentis ratio est, quid iam impedit quominus febris pestilens exoriatur? nec uero absurdum est, fateri quod prius* Symptoma *fuit, in morbum tandem migrare : cum ea sit affinitas caussarum, morborum, Symptomatum, ut alia in aliorum naturam, transeant.* Præterea Bubones, *quos suo more* Althoein *nominat*, Auicennas *locis ac tempore pestilentibus, esse frequentes uult : ijsdémque remedijs tractari, quibus & pestilens febris cum tremore cordis : & eorum morbi, qui in cœlo pestilenti degunt.* Ex *quibus omnibus colligere licet, febres eiusmodi*

prorsus esse pestilentes. Est igitur cum tuberculum febris praecedit, est item cum febrem tuberculum, crebrius tamen febres priores tubercula comitantur: deceptis interdum medicis, cum ægri ob loci molestum sensum, eminus de turberculo non febre, queruntur. Ea quidem tubercula in partium principum emissarijs prominent, cum uel copia, uel acrimonia, & caliditate humorum stimulata uis naturæ, eos uelut in sentinas suas extrudit: quò cum peruenerunt, & propter caliditatem, febris subito inuadit: & propter impactam humoris colluuiem, pars extumescit: Qua in re obseruandum sine huiusmodi tuberculis, externis, internisue, aut utrisque, qualia sunt Exanthemata, pestilentem febrem contingere raro admodum. Interna si cor occupant, statim occidimus: si Pulmonis cauum, aut membranas Thoracis, aut intersepiens Mediastinum sanguis

guis excreatur: mórsque in biduum differtur: licet nusquam sit desperata sanatio, præter quàm malum, cum in corde est. Morbos omnes pestilentes esse *contagiosos, audacter ego equidem pronuncio, & asseuero.* Nam si Arnaldo, *morbus omnis contagione repit, in quo fœtor est, multo magis pestilens in quo & uenenati & maxime putidi halitus spirant.* Adhæc, *si* Lippitudo *contagione spectantium oculos afficit, si tabidorum halitus cum cæteris malum communicat, si speculum fœminarum, cum menses fluunt, intuitus maculant, longe potius febris pestilens, in uniuersum corpus diffusa, contagione malum disseminat: eáque magis, in qua uenenati spiritus plures effluunt.* Quapropter *sola tubercula, ex pestilentibus morbis, contagiosa minime sunt.* Post illa *febris:* Maxime *uero febris cum tuberculo.* Nullum *quidem est febris genus, quod non*

in pestilentes cadat. Cæterùm hoc ut exploratum sit, obiter id est interijciendum, è tuberculis pestilentibus, quæ in emissarijs præcipuarum partium sese produnt, ad febres sæpius accedere: quæ uerò alibi ut in brachio, dorso, tibijs, apparent, nunc anteire febres, nunc aduenire simul, nunc subsequi. Quæ subsequuntur si decretorio die protuberent, fausta esse, ac læta: quoniam ualida natura suo tempore in officio sit. Sin alijs diebus, tristia, & ominosa: quoniam alieno tempore, offensa morbo & Symptomatibus, ad intempestiuas expulsiones accingit se natura. Quæ uerò aut eūt, aut simul aßiliunt, uel cum pestilentibus diarijs sunt, uel cum putridis. Nam ut calidus uapor nec uenenatus in cordis sedem euectus, inflammato spiritu Ephemeram simplicem gignit, sic & uenenatus pestilentem: quas citra ullam materiam fieri medici loquuntur, non quod illis subiecta nulla sit materi

ri

ria febris, & incendij fomes, ſed quoniam humorem nullum exurunt, qui uel coquatur, uel purgetur medicamento. Atque adeò non ſolum non ex ijs tuberculis Diariæ febres generantur, cum uapor ex partibus longè à corde ſemotis, non aßiduè cor impetit: ſed & interdum nulla, cum uapor nullus in cor effertur: quod cùm accidit, curatu facillima ſunt ea tubercula, & quæ natura uel Pharmaco, uel Clyſtere, uel glande in pueris, adiuta, ipſa per ſe diſcutiat, ſudoribus, aut uomitione concitatis. Reliqua plus negotij faciunt, nunc cauſticis diſrumpenda, nunc mollienda Malacticis, nunc Errhypticis mundanda, nunc implenda Sarcoticis, nunc Epuloticis procuranda. Quæ febris inde putrida fit, aut ſuis redit circuitibus: aut nunquam abſcedit: pro humoris qui putreſcit, uario ſitu, ac maiore, mino-

réue abundantia. Quæ ſtatis diebus recurſant, haud quidem ualde ſunt periculoſæ, & Epithematibus, Theriacæ, Puluiſculis, unóq; uerbo Cardiacis omnibus, ſanantur. Continuæ uerò, ac ſe nihil intermittentes, cum tuberculis uel emiſſariorum cerebri, cordis, iecinoris uel aliarum partium, ſunt tutiores, quoniam tetri uaporis non tantum in cor ſubducitur, uiſque potentior eſt naturæ, ac principum partium ualentius robur, quæ noxium humorem à ſe tam procul excegerint. Oſtentant aliæ maius periculum ob rationes ſuperioribus contrarias. Longè uerò maximum periculum eſt tuberculorum, quæ ad emiſſaria cordis extant, ſiniſtra præſertim. Docti ac periti medici famam is proculdubio meretur, qui rectè hæc curare ſciuerit. Antroſa priores medici tubercula, hæc nuncupauerunt Græci βυβῶνας: haud omnino præter rationem: quia in glandulis, tãquam ſpecu, & ant

Tubercula quæ periculosissima

antro delitescant. Ea tametsi cum multo coniuncta sint periculo, Carbũculis tamẽ leuiora incidunt: quoniã ex humidiore succo, putrido minusq́; generãtur: & minore cruciatu nocentia, plus spatij medico dãt ad excogitanda remedia ægro ad se reficiendum. Totius quidem corporis in hoc malo status peruertitur, ac perturbatur, cordis tamẽ insigniter. Etenim cũ arx uitæ sit, ac præcipua sedes, in id obruẽdũ & opprimendum, impetus morbi uniuersus contendit. Iam uerò quæstionibus hisce dilutis, quod bonis auibus inceptum dij secundent, ad pestis curationem oratio traducatur, quo nòmine & pestilentem febrem & tuberculũ significamus. Febris, nam de illa satius est priore loco differere, quoniam & maiore studio medici laborant in ea curanda, triplici ratione uincitur. Primum ijs quæ feruidos spiritus cordis refrigerant, disiectos in unum congregant: imbecillos roborant: obstantq́;

uenenis tota sua natura: qualia sunt odoramentum suprascriptum, è floribus Rosarum, Violarum, Nymphææ, omnibus Santalis, Caphura: Epithemata, Electuaria, puluisculi, Cardiaco omnia, quæ antea descripsimus. Post uerò ijs, quæ humorem cordis nc absumatur seruant: qualia sunt Pullorum & Capi Iuscula, aliáque id genus, cum Lactucis, 4. seminibus frigidis, minoribus, ac Citri Oxalide, Omphacio, Cucurbitis minutim incisis, Ordeo, Croci paululo succo, Arancij, Limonij, Cytrij: Acida perpetuò: sumpta tum maximè cùm inanis est uentriculus: pinguia nunquam, ne ardore concepto febrem augeant. Postremo ijs quæ humores prauos educunt, ac leniunt Symptomatum uehementiam. ubi enim febris æstuosa ualde est, cum uomitione, sopore, animi & stupore & defectu, primo die statim inijciendus est Clyster, eluendo uentri: ac continuo secanda uena, qua

part

parte sese tumor pestilens obtrusit. Sãguis auferendus, pro modo plenitudinis: quanuis sanatos plures quibus uena minime pertusa fuerat, quàm quibus pertusa, uiderim. Altero die leuis purgatio imperanda, è Cassia, Tamarindis, Rhabarbaro, Myrobalanis flauis. Sequentibus abstinendum purgatione. Aluus ducenda uel pilulis communibus, uel Clystere facili iam inde ex quo morbus primum inuasit, bibenda quotidie Theriaces drac. 1. ex aqua Rosarum, uel Oxalidis, cum puluisculis antea commemoratis. Tuberberculis imponenda madens stupa decocto Maluæ, & Chamæmeli, idq; assiduè, horis singulis, uesperi, matutino. Sublata stupa, inijciendum & apprimendum tepens decocti Magma. ubi uerò & febris mitior est, & nullus grauiũ Symptomatũ concursus, citra uenæ sectionem, ac purgationes, usus Clysteris sufficiet, cum ijs

quæ

quæ paulopost adſcribemus. Hæc in gene re methodus illa eſt, quæ paucis uerbis to tam curationem perſtringit, ac ob oculos ponit, doctis expedita, rudioribus conciſa, & breuior. Itaque ut ex æquo fructum operæ noſtræ omnes capiant, illam adiectis exemplis fuſius explicare decretum eſt. Nihil enim tam conuenit ad docẽdum, quàm illa facilitas, quæ hærentes in confuſa rerum uniuerſitate, exemplis rerum ſingularum adtextis, in lucem è tenebris deducit. Quocunque ergo tempore malum hoc prehenderit, aluus durior, uel glande, uel Clyſtere ſoluenda, ni uentriculus cibo adhuc onuſtus fuerit. tum enim aut mo lienda uomitio, aut ſi uomat æger difficilius, expectandum quoad cibus delapſus fuerit: intereaq́; parandus Clyſter, Iulep, Epithema. Reddito Clyſtere, ſi nihil diſſuaſerit, incidenda uena, quo pacto nos antea paulo commonefecimus. Clyſterẽ, ac uenæ ſectionem ſi nihil eſt quod poſtu let,

let, danda hæc potio: Recip. Tamar. Ind. unc. 2. Theriacæ. drac. 1. Rhabar. drach. 1. Spicæ Nardi scrup. 1. pulueris electuarij de Bolo & de gemmis, Triasantali, Diarhodon Abb. & diamargariton frigidi añ. drach. 1. Trochiscorum è Caphura drac. 2. Trochiscorum, Diacoralou & è Spodio, añ. drach. 1. Sacchar. Ros. unc. 1. Isthæc omnia dissolue in aquarum Arbuti, Scabiosæ, Oxalidis, Rosarum añ. q. 1. fiat potus. dato bibendas unc. 3. quotidie, uel matutino, uel nocte media, uel alias, dũ inanis fuerit uentriculus. Ante duas horas nihil cibi post sumatur. Adde, si lumbrici molesti sunt, puluisculum ad necandos eos quæ post describemus, succum Leimonij, Punici: Syrupum ex Omphacio, è Ribes, & succo Citrij, ex Oxalide. Infantulorum qui lacte depulsi nondum sunt corpuscula, hæc auxilia ferre non ualent. Quapropter in eorum nutrices, cura hæc tota impendenda est, illos bono lacte ut nut

Potio danda

Lumbricos necantia

nutriant. Maiusculis uerò & iam reptantibus, pro remedijs alijs omnibus memoratis supra, aut glans inditur è tergore folij Braßicæ, uncto uel oleo communi, uel uiolato: è frustulo Penidiorum: è dimidiatæ Iuglandis Nucis medio, oleo perfusis, ut supra: aut sumen & pubes æqua portione Butyri non salsi & olei uiolati linuntur. Ad eorum tubercula prospectum sic est medicis. Aluo libera; stupæ Cannabis, purgatæ, ac malleo tusæ, ne aciculis horrentes pungant, in puluinar quadra-
[...]tus in tuberculis
tum formantur: decocto Chamæmeli, Anethi, Meliloti, Adianti, Maluæ immerguntur: inter ligneos orbes duos exprimuntur, quos in domestico habere solemus instrumento obsonijs frustulatim discindendis. imponuntur calidæ, horis singulis mutantur, quoad tuberculum uel sit omnino discussum, uel suppurauerit, ut Bubo solet: uel liuescat ut Carbunculus. Tum enim remedia cætera fas est usurpare,

pare, Malactica, Errhyptica, Sarcotica, & id genus alia. Carbunculus mitioribus auxilijs rumpendus, non uehementioribus illis quæ malum exacerbant, non Septicis, quæ affectam partem malè perdunt, id enim dum ab indoctis Chirurgis committitur, Igne sacro, Gangræna, Estiomeno multi perierunt, quos euasuros spes erat, id nisi Chirurgus peccasset. Carbunculis disrumpendis Scabiosa inter duos silices teritur, & cum axungia Porci uetere, ac salsa imponitur. Tutum hoc remedium est. Scalpello circumcirca humor uenenatus ut effluat, Carbunculi conciduntur & Muria sæpius, atque sæpius abluuntur, uel ne sanguis concrescat in grumos, uel si concretus est, ut diffundatur. Id ubi factum, quæ rumpant, aut putrefaciant medicamenta cum stupis ut anteà diximus paratis, admouenda potius, quàm uel cum lineo, uel cum laneo panniculo. Per stupas enim

Carbunculi cura

Empl[astrum] ad carbunculos

rariores, ac magis peruias facilius teter uapor ulceris & commodius egreditur, nec in cor redit egressu prohibitus. Posthac Errypticis, & Sarcoticis, ulcus ad sanitatem perducendum, ut medici norunt: uictus is esto qui & in febre nutricis. Ante biduum ea uinum ne gustato, aut maxime dilutum potato: Ordei decoctum, uel decoctam simplicem bibito, cum Syrupo ex Omphacio, uel Oxysacchara: Carnem paucam, eamq; acidis ut & iuscula omnia, conditam, ac succo Punici, Sacchariq;, & Cinamomi tantulo, in cibo sumito. Acidis enim & putredo coercetur, & feruor humorum mitescit. Quibus tamen uel pectus angustius est, uel tussis molesta, is talium acor Sacchoro hebetandus est. In cibo dăda quæ cordis humorem & spiritus exhaustos reponant. Alias uerò Theriace, aut puluis electuarij de Bolo è Rosacea, aut condita suprascripta, & quæ sanguinem refrigerant cætera. Infunden

dendus Clyster, cum aluus resistit. Iis uero qui annum iam tertium excesserunt, ad nonum usque, aluus primum Clystere solicitanda, cũ segnior est, uino prorsus interdicendum: bibendum Ordei decoctum cum Iulep Violato, Oxysacchara simplici, Syrupo, ex Omphacio. Caro nunquam offerenda. sorbendum iusculum conditum acidis suprascriptis, uel frigidis seminibus: edenda panis offula in eo macerata: arrodendi Pullorum pedes, & alæ summæ, uel Omphacio, uel Oxalidis succo intinctæ. Pyrum uel Malum coctum, Saccharo insperso delingendũ. Tenenda hæc uictus ratio donec uel tuberculum euanuerit, uel morbi Crisis obuenerit, ad quintũ uel septimum diẽ. Sumendũ interea è puluere de Bolo Theriace, Triasantalo. Diarhodôn abb. Trochiscis de Caphura, nõnihil. Epithematibus suprascriptis, ab initio statim uiscera perfrigerãda, tuberculis admouẽdæ stupæ, quẽadmodũ antea scri-

ptũ. Hæc auxilia profecisse, in quãplurimis ego cõperi. Iis qui annũ decimũ agunt, ad decimũ quartũ usq;, aluo soluta, sanguinẽ quidẽ uena secta mittere formidamus: sed, nõ extuberãte quidẽ loco, uerũ infra quinque digitis, ut si iugulũ, uel fauces, uel parotides extumuerũt, aut primæ colli uertebræ, aut dorsi principio, aut humeris, cucurbitulæ affigũtur, capaces, ore bene patẽti, quæ multũ flãmæ cõtineãt, præsertim ubi trahẽdũ multum fuerit, ac ubi sæua febris uomitiones, soporem, insaniam, deliquia animi, ceteráque grauia Symptomata id genus attulerit. Quidã cucurbitæ fundo cerã admixto gũmi tenaciorẽ inducũt: deinde stupas quæ incẽdãtur, sic apprimũt ut cutem flamma non torreat: Alij ceream candelam in panis crusta rotunda, magnitudine numi, quæ os cucurbitulæ subire poßit, statuunt, ac decussant, & cum decußis radios accenderint, cucurbitulam superimponunt. Alij si quis flamma

ſlammam expaueſcat, fictile uitreum aut ligneum uas diu calfaciunt, aqua feruente implent, idemtidémque uiciſsim & admouent, & ſummouent, id quod ſane ualide trahit. Ablata Cucurbitula, *aut uaſe depoſito, tumidus locus & accerſito ſanguine rubens, nouacula, uel ſcalpello, altius plagam ſi uelis adigere, conciditur, rurſumque aut uas imponitur, aut cucurbitula, quoad ſanguinis unc. 3. plus minúſue pro uiribus ægri, tu elicueris.* Sunt *qui tuberculis* Hirudines *quinque, aut quatuor iniiciant, & cum ſanguine quem exugunt, ſaturæ illæ deciderint, cucurbitulam apprimunt: deinde locum unde manauit ſanguis,* Muria *lauant. Cæterum æſtimata cum diligenter omnia fuerint, minus ſuperiore utilis eſt hæc ratio: Sic tamen ut glandulas emiſſariorum nunquam ſcalpendas eſſe putem, nunquam ipſe tubercula: Glandulas quidẽ, quoniam præcipuis ſunt partibus uiciniores, medi-*

ciſque ſtudendũ eſt, ut quammaximè procul fieri licet à partibus principibus uitioſus humor abducatur: eaſdémque ipſas & tubercula: quoniam aucto dolore per uulnerationes, calidi ſucci è toto corpore in partem ægram confluunt. unde putredo acceleratur: uenenum excandeſcit: humor tumore collectus inflammatur. In alarum tuberculis carnoſa lateris ſubiecti pars inciditur: aut dorſi qui ex aduerſo poſitus eſt muſculus. In Bubone, coxam, uel nates ſcalpello diffindimus. Annum natis decimum quintum, ad uigeſimũ quintum uſque, in corporis bona & ſtructura & habitudine, florido colore, plenitudine, firmitate, ocioſa ignauáque uita, uentri ac gulæ dedita, ciborum & uini deliciis ſoluta ac diffluente: primo ſtatim die nondum humore multum uenenato, ſi tuberculum in alis eſt, ſanguis effunditur è uena brachij: ſi in inguine, uena Malleoli eiuſdẽ partis, unica poſitus ut differentia ſit

ſit,ad tres uel 4.unc.Poſt ſex horas, uel octo, æger cũ recreatus è priore ſanguinis miſsione fuerit,ſi expedit,aliquãtulũ præterea ſanguinis detrahitur. Ferienda uena in eadẽ parte quæ inter cæteras conſpicua magis,& ampla.In Bubone,ſecanda primũ uena Malleoli,eiuſdẽ partis,nõ aduerſæ,poſitus differentia ne duplex ſit:deinde ſi opus eſt, repetenda euacuatio poſt aliquot horas.In corporibus nõ ita ſanguine confertis, cum medicus ſerius accitus ad biduum tantum,uel triduum quatriduúmue præſtò eſt, quia humor tũ copioſus in ægram partem iam decubuit, ac multum uenenatus ſit, ſenſim putreſcens, ægri uiribus nondum ualde proſtratis, licet loco qui tuberculo proprior eſt, ac in eadem parte, ſanguinem ad uncias quatuor, uel ſex detrahere:præſertim ſi faciundum id hortetur corporis ſtatus,ut ſi iuueni fœminæ,quæ uel iam nupſerit,uel in collegium ueſtalium recepta, caſtam uitam egerit:

aut iuueni cœlibi nulla dum uenere polluto, cibisq; interea bonis educato, opitulandum sit. Iis quibus ætas iam constare cœpit, nempe ab anno uigesimoquinto ad septuagesimum usque, corpus si abundat sanguine, si carnosum, rubrum, educto sanguine alias inanitum, uenæ amplæ, distentæ, robur integrum, uita ocio, cibo, uino, mollis, intemperans, effrenata, qualis esse solet eorum qui sacerdotiorum & cultus diuini prætextu, genio plus satis indulgent & obsequuntur: ac Christum speciosis titulis ementientes, Epicurum imitantur: his ante tertium diem, opem nisi dederis, aut utilitate parua, aut frustra omnino post remedium experiare. Statim igitur emittendus sanguis est, ex eadem parte, ad quatuor, uel tres uncias, pro uirium aut firmitate, aut imbecillitate atq; plenitudine: adiecta si conueniat, Epaphæresi, post sex horas, uel octo: non ut temerè quidam censent, post unam alterámue horam. Est

& per

& perniciosum horum consilium, qui libras duas, mittendi sanguinis iustum esse modum uolũt, quoniam tantam sanguinis profusionem hoc æuo nemo est prope qui ferat, quod multorum cædes indignis modis sic trucidatorum planius facit. Quod uerò Galenus dixit alicubi, multa sanguinis eductione grauißimas febres restingui, ac tanquam iugulari: idq́; pro miraculo habitũ in quibusdã olim fuisse, quos eo remedio ab æstuosißima febre liberasset: non id quidem, sicut interpretantur ipsi, eo uertendum est, ut citra discrimen in omnibus morbis, ac quauis hominum persona & conditione id permittatur: uerum quam in libro de curatione per sanguinis mißionem secandæ uenæ præceptionẽ ille tradidit, ea sic ubiq; tenẽda est, ut nũquam frangatur, nũquam prætereatur. Eam qui seruabit, nunquam ille in corporibus hominum ea crudelitate tractandis, insaniendum sibi esse putauerit. Ipsa enim tantus

furor, & dãnatur, & coercetur. Nec uerò ut aiunt, modica sanguinis eiectio, prauos humores cum bonis miscet, & exagitat: nam id potius quæ est immodica, effecerit, quoniam immoderatum à moderato fieri credibile non est, sicut & nec modica sanguinis detractione iactatos humores uenenatos in cor ire: cùm à corde potius, ij, si qui sunt, auertantur atq; dimoueantur, ac solus sanguis uenis inclusus euocetur hoc remedio, non ille, qui propterea quòd loco suo migrauit, & è naturæ potestate excessit, fit magis uenenatus. Atq; adeo, qui sanguinis tantum demunt, cõtra quàm existiment, naturam suis uiribus ipsam priuãt: qua destituta, uenenatus humor, in tumidas partes iam secretus, euinci non potest, ac mors occupat. In cerebri cũ tubercula emissario fuerint, & sanguis mittitur, humeraria, aut brachij media, aut quæ pollicem, & indicem intercurrit uena, secatur: eiusdem partis. Postrema, quoniam longius

gius ab affecta parte humores deducit, cõmoda est. In *alarum tuberculis, aut media, aut iecoraria, aut quæ interponitur medico digito & annulari, recluditur.* Hæcq; *ualde ob rationem proximè citatam utilis est.* In Bubone *subditam genui, aut quæ ad malleolum est, internam uel externam incidimus, prout magis* Bubo *in* Anum *uergit aut foras, uersus extat: uel quæ in summo pede notabilior fuerit.* Tantisper *dum resignata uena sanguis effluit, aut* Cathar *cticum sumitur, ne quid in cor ueneni redũdet, & se inferat ampla cucurbitula in ualidis corporibus tuberculis ipsis, aut proximè admouenda est: in mollibus ac imbecillis, madens spongia decocto* Chamæmeli, Maluæ, Meliloti, Anethi, Adianthi *imponenda.* Exempta *cucurbitula, aut stupæ, aut spõgia calfactæ superimmittũtur, uenenato humori perpetuo reuocando, cuius si quid ad cor usque perrumpat, conclamata uita fuerit.* Quibus *hoc acci-*

dit, tubercula repentè ijs diuanescunt, & occultantur. Intrò ergo ne ipsa refugiant, his Epispasticis humor foras proliciēdus est. Spōgia equidem minus libēter quā stupis utor: quoniam odore est iniucundo, ac insuaui: præter modum calfacit, & siccat: ubi semel inhæsit, uix diuellitur: ob nitrosam, & astringentem salsuginem, cutem densat, ac spissat, eiusq; spiramēta claudit, & obserat: & ut uerum fatear, spongiæ nunquā usum prospere hic succeßisse memini: utiliores semper ac tutiores stupas experimento cognoui. Vena secta dantur bibendæ, unc. ij. Syrupi ex Omphacio Leimonijs, Ribes, baccis Oxyachantes, Acidi simplicis, Oxysacchare simplicis, succi Punicorum, Cydoniorum, Malorum acidorum, ex aquis Oxalidis, Scabiosæ, Arbuti, Rosarum, Buglosi, Endiuiæ, cū Caphuræ drac. ß. Nihil enim sanguinis feruorem promptius extinguit. Decumbito æger in loco frigido, non uliginoso. Per estatē irrore

roretur & cubiculi paries, & pauimentũ Oxycrato, in quo demerſeris folia Vitis, Salicis, Arundinis, Iunci. Aqua fontis madida lintea quoquo uerſum explicentur: Quacunq; ratione in mentem ſuccurret, aër refrigeretur. Odoretur æger Citrium, Arancium, Leimonium, Roſas, Roſaceam dilutam Aceto, Sãtalis, ac paululo Caphuræ adiectis, aut globulum hunc. Recip. omnium Santalorum, Roſarum, Violarum, Nymphææ, Amaraci, añ. drac. 2. Coriãdri, unc. 1. Caphuræ. ſcrup. 1. terãtur in puluiſculum, & excipiantur Tragacãtho diſſoluto in aqua & Aceto Roſaceis, fiat globulus: aut puluiſculus includatur ſacculo ſericeo, & naribus obijciatur. Detur cochlear unũ medicamenti uires inſtaurãtis, è Roſacea. Cor hoc Epithemate refrigeretur, Reci. aquæ Solani, Lactucæ, Portulacæ, Oxalidis, Bugloßi, Nymphææ, Meliſſophylli, añ. un. 2. Aceti Roſacei. 4. 1. omniũ Santalorum, Spodij, Roſarum, Cocci Baphi

phici,Schœnãti,añ.drac.1.Caphuræ scru. 1. horum puluisculus in ollula noua cum aquis misceatur. Sericeus uel laneus pãniculus,Coccineus,in ijs tepidis mersus, hyeme præsertim,ac frigidis temperamentis, infra sinistram mammam duobus digitis apponatur,cùm in uẽtriculo cibi nihil est, mutetur cum exaruerit. Aut sacculus Coccineus,sericeus, cordis forma turbinatus, uel quadratus, puluisculis ijs repleatur: aquis imbuatur,admoueatur, uel frigidior uel tepidior,pro temporis ac temperamenti uarietate. Hyeme plus aquæ Melissophylli,& Sampsuci,admisce: cũ Moschi tantulo. Pectus cùm imbecillum fuerit, nõ ita frigida hæc auxilia,sed adiectis quibusdam calidis temperata, præscribẽda sunt.

Dandum crebrius quod uires instaurat, Cardiacon. Imperandum hoc Iulep, Reci. succi Oxalidis,Malorum acidorũ, Arancij,Leimoniorum, Buglossi,Cydoniorum Omphacij,ana quar. 1.clarificentur hæc

quoad

quoad tota fex sidat, & è turbidis perspi-cua fiant: adde tum succi Punicorum, & Aceti Rosacei, ana unc.3. omnium Santalorum drach.1. Rosarum, & Caphuræ ana scru.1. Cinamomi, scru.2. Sacchari, lib. ß. fiat Iulep. aut Rec. Syrupi de Omphacio, Leimonijs, succo Citrij, ana un.3. succi Punicorum, Aceti Rosacei, ana un.2. Syrupi de Ribes, un.1. succi Oxalidis, uel Buglossi, uel Arancij, uel Scabiosæ, unc.2. aquarũ End. Oxalidis, Scabiosæ, Ros. ana q.1. fiat Iulep cùm omniũ Santalorũ, añ. dra.1. clarificetur. Fit & Iulep è Syrupo Rosato, uiolato, de Endiuia, Acido simplici, Oxysacchara simplici, & Ordei decocto, uel aqua fontana sola decocta, & refrigerata. Quidam cucurbitam frustrulatim incisam, in clibano super laterẽ aliquantulum siccant, post autem prælo, aut diuerberato baculis duobus craßiore lineo panno, quo sint inuoluta frustula, succum exprimunt, ac Saccharo condiunt. Ex horum quouis

mul

mulcenda, & siti & febris uehemētia. Su
mitur cochlear, uel instaurātis Cardiaci,
uel huiusce medicamenti. Reci. Trochisco
rum Diarhodωn, de Caphura, & Spodio,
ana drach. 3. pulueris Triasantali, & ele=
ctuarij de Bolo, ana dra. 2. pulueris elect.
de gemmis, & diamargaritωn frigidi añ.
drac. ß. pulueris diarhodωn, Abb. dra. 1. Ca
phuræ. gra. 5. Cinamomi interioris, dra. 2.
seminis Papaueris albi. drac. 1. corticis Ci
tri cōditi Saccharo, unc. 1. baccarū Oxya-
canthes drac. 2. bracteas auri. 4. Sacchari
quod sufficiat, fiat cōditum & aureis bra
cteis operiatur. Trochiscorū de Caphura,
mirabilis hîc utilitas: Quare descriptionē
illorū adscribendam censui. Ea sic habet.
Rec. Rosarū unc. 1. Spodij, Santalorum o-
mnium, ana un. ß. Croci dra. 1. Amyli, Gly
cyrrhizæ, Xyloaloes, Cardamomi, Coriā
dri, ana dra. 3. Caphuræ. drach. 1. Sacchari
cādidi, Mānæ ana dra. 3. cū mucco Psyllij,
Rosacea macerati, fiant trochisci. San-
guinem

guinem mittere si non expediat, uel quod citra noxam ferre corpus non poterit, uel quod nō in tēpore medicus affuerit, ut cū post triduum accersitur: Clystere primū aluus lenienda: Pòst dandū Catharticum, sed mitius. Cætera, Syrupi antea scripti identidē bibendi, iusculáue acida sorbenda. Tubercula pestilentia, iā enim curationem eorū priuatim exponere res ipsa monet, uel discutiuntur initio diaphoreticis, quod satius est, uel Epispasticis amplificantur, ut suppurent. Quod autem ex Auicennæ dictis uolunt quidā, biduo toto hæc Oxyrrhodino perfundi, aut imbuta Posca spongia foueri: principio quidem antea quàm multū uenenatus humor fiat, & cùm tuberculū in emissario cordis, iecinoris, cerebri non fuerit id iuuabit: præsertim si uicinæ partes & circūpositæ perfundantur, non quæ affecta est: aliàs non tantū nihil, sed & detrimentū iniunget, ut ex alijs multis Auicennæ locis uidere est.

Hum

Humor enim uitiosus, his quæsitis remedijs in altum corpus regreditur, & cor ac nobiles partes, maximis dãnis afficit: itaq; foras is semper euocãdus est, ac nullo modo repellendus. Per statũ scarificãdus tumor est, ut quod in eo calet, feruet, partes uicinas exest, ac corrodit extundatur. Cõpẽdiosa hæc est curatio tuberculorũ, quæ alibi quàm in emissarijs præcipuarũ partium excrescunt. Hæc enim siue Carbũculi, siue Bubones, siue Pustulæ quædã aliæ, ex feris, & malis fuerint, mox crustosæ, quale genus est uniuersum pustularum uenenatarum subiecto Clystere, & corpore purgato, ineunda uia est, qua si licet discutiantur. Quamobrem primum Cucurbitulæ tres sic apponuntur, ut prima infra glandem proximè affigatur, altera post hanc, tertia post utranq;: ambæ deorsum uersus, recta quasi linea, qua tãgenti sentitur ueluti quidam neruus durior. Faciendũ hoc matutino, uesperi, & interdiu sæpiusculè,

culè, maximè cùm ægri linquũtur animo. Id enim uenenatum humorē à corde procul amolitur, & suppurationem promouet. Detractis cucurbitulis, post horā mediam, aut paratis quemadmodū antea diximus, stupis, aut succida lana ex Ouis collo detōsa, bene ac studiosè carminata, aut gausape, aut filtro, decocto quod antea præscripsimus immerso ac expresso, tētādū est humorē discutere. In decoctis perpetuo sunto emollentia quædam, ne si aliter constitutum sit, quod craßius est, durescat, eo dißipato, quod tenuius est. Hac quidem ratione si non proficitur, cum uentriculus cibo exoneratus, ac inanis fuerit, decocto superiori, tuberculum irrigandū est ex alto, prouidendumq́; ne calfacta pars repētino aëris frigidi occursu feriatur. Pòst calens stupa ut antea dictū, identidem & apponatur, & mutetur. Hoc satis remediū si nō facit, superiori decocto stillans adhibenda spongia est, semel quo-

M

tidie, uel ad summũ bis, ne desiccet prætermodũ. Stupis năq; illa efficacior est. Deposita spongia rursum admoueatur, cũ Magmate decocti, ac mutetur, postquã refrixerit. Si uehemẽtius attrahendũ, Cucurbitulæ adhibendæ, uel hirudines, supra ut ostẽsum est. Si unà cũ tuberculo febris est, & grauis & indesinens, hæc ratio tenenda usq; ad septimũ diem: sin tuberculũ solũ, uel cũ diaria febre, in emissariorũ quodã promineat, ex partibus primarijs aliquã nonnihil grauatã esse denũtians, secta uena, & data purgatione, cũ opus fuerit, solis stupis decocto superiore mersis, morbus euincetur. His remedijs auspice me ac duce, ætate prima firmata, præcipitata ac affecta multi cõualuerũt. Ego equidem illorũ industriã nõ probo, qui ex ciendis humoribus, unã uel duas cochleas tusas, cum testis imponũt, præsertim si febris est adiuncta, quoniã ex Auicẽna Cochleæ resiccant immoderatius, & statim exardescũt,

Cochleæ uir

quo

quo duplici incõmodo, & ingrauescit calor febris, & tuberculorũ humor siccatus, discutientiũ uim pertinacius repudiat. Sũt qui Ranam, cuius pelle uentrem exuerint, adhibeãt eodem proposito, sed nõ conuenienter, mea quidem sententia. Illam enim præsertim ustã, sicut & radicẽ harũdinis, & Aristolochiæ crematas, quãquã trahere medici ex alto uelint, quia tamen iusto plus siccant, & calfaciũt, hic obfuerint. Multo uerò minus Calamenthũ, Pulegiũ, Nasturtiũ, Pyrethrũ, Costus, Piper, Alcyonium, maris spuma, emplastra è gũmi Pini, Therebinthina, Melle, Fermento, Propoli, Arsenico, uisco Roboris: quæ omnia plus satis calfaciũt, & siccant. Quædã sicut & διαχύλων magnũ, ob lentorem & glutẽ cutis poros obstruũt, ac obturãt, halitusq; uenenati exitũ remorãtur: unde fiũt tubercula insanabilia, & lethalia, quod Cheirurgorũ inscitia frequẽter accidit. Iji enim cũ rerũ omniũ imperiti planè sint,

artisq́; suæ prorsus ignari, & alioqui temerarij, ac præcipites, apud stolidã plebẽ, quæ ab indoctis doctos nescit dignoscere, uenerationem aliquam habent, qua inflati nihil nõ audent, nullũ nõ scelus patrãt: uitamq́; hominũ sicario, ac lanio quouis cõfidentius eripiũt: audacia legibus publicis & iudicum seueritate punienda, ijsq́; adstringenda cãcellis, ut absente medico qui consilij moderator sit, faciũdũ nihil susci pere permittatur. Sunt qui Clematidis genus secũdum, Flãmulã uocant, tusum tibijs uel brachij musculis, uel humeri alligãt, ut ijs perustis, & inducta crusta, à præcipuis partibus nocens humor retrahatur. Hoc ego *nõ nisi in robustis corporibus, et quæ febre careãt laudauerim.* Placet *magis quod quidã reuulsis* Cucurbitulis, Hi*rudines admouent. Cæterùm, meo consilio res si geratur, ad septimũ usq́; diem, præter stupas, ac spongiã decocto Chamæmeli,* Meliloti, Anethi, *Maluæ*, Bulbi, Liliorũ

madid

madidas adponetur. Cùm enim fiat attractio, uel à calido, uel à uacuo, uel à naturæ cognatione, hos tres modos, in diuitibus præsertim ac opulẽtis, nos usurpamus. Ob uacuũ trahit Cucurbitula, uel cũ scarificatione, uel citra scarificationẽ: digitis quatuor infra tuberculũ affixa, ne quid uacui sit, carne in tumorem sublata, excitatisq; humoribus. Calore trahũt stupæ Cãnabinæ, decocto superiori madefactæ, ac inter ligneos orbes expressæ, & ut calẽt appositæ. Hoc remediũ prosus excellũt, quoniam humoris multũ dißipãt, nec interea febrẽ augẽt, uel ægris dolorem incutiũt. Naturæ coniunctione trahunt gemmæ, quas supra memorauimus. Eæ stupis iam admotis, uel appendũtur integræ, uel in puluisculũ tritæ, fasciaq; reuinciũtur. Hæc ad septimum diem ubi cõtinuata sunt, coquentia tũ medicamenta ex usu fuerint, nõ citius: quoniã glutinosa illa, cutis poris impeditis, uenenatus uapor ne transpiret obstãt, eũq; sic

in cor regerũt: & quoniã putrefaciũt omnia, ustis magis ac incensis eorũ appositu humoribus, Gangrenas & σφακέλους, pariũt. Tempestiua igitur coquentia sunt die septimo, cũ & tuberculũ crescere, ad suppurationemq; festinare uidebitur, & remedijs superioribus, ueneni prauitas remissa fuerit. Amplificato uerò tertio die tuberculo, augescenteq; febre, ac ægro magis quàm antea irrequieto, si floret ætas, nõdũq; robur imminutũ ualde fuerit, alarum & inguinis glãdulas totas discindũt multi, secũdùm partis longitudinem: haud magno doloris cruciatu, quoniã sensus expertes illæ sunt. Hac in re summopere cauendum, ne uena, arteriáue saucietur. A ægro, prius quàm id fiat, medici periculum mortis adesse nũtiãt, id ni patiatur, & quæ possunt eloquentiæ facultate animum addunt. Discissa glãdula sanguis sistitur stupis Rosaceo, & uitellis ouorũ tinctis, effuso albumine, quoniam & glutinosius, & frigidius est quàm par sit. Rigatur pectus

Cardiacis Epithematibus: dantur bibendi Syrupi Cardiaci, tosti panis offa uino ful uo aqua multa diluto maceratur, edendaq́; offertur. Aliquãtulum uini post sorbetur. Facies osq́; totũ aspergitur aqua Rosacea Caphurata. Eadem, manus lauãtur. Odorandũ cũ Rosacea, Acetũ naribus obijcitur. Glãdulas ego equidẽ proscindere semper sum ueritus, quoniã tã ancipiti curatione periculi multum accersatur. Affixis uerò ut antea dictũ, Cucurbitulis, & scarificata parte, quã attollit Cucurbitulæ flamma, uel admotis Hirudinibus, sanguinem ad sex, aut septem uncias fundere tutius esse crediderim. Sunt qui ferro cãdenti urãt tubercula, remedio nõ nisi cũ deest febris, & in ualidis corporibus utili. Horũ uehementiũ loco, præsertim si ad ea perferenda imbecillo æger est animo, ualdeq́; tumor accreuit, ter aut quater spõgia & interdiu et noctu apponẽda est, stupæq́; mersæ in decocto supra tradito, aßiduè cõti-

nendæ. Post septimũ uel nonũ diem febre iã leuata, maximè si interciderit Crisis, si de humoris ueneno suspicio remota est, si uires adhuc firmæ, si nec liuescit, aut nigrescit tuberculum, si quæ suppurationis spes obtenditur, πεπτικὸν hoc præscribimus. Recip rad. Althææ & Lilij, radicis, Helenij, & si nulla febris est, radicis Cucumeris syluestris, & Cæparum, ana libr. ß. Caricas. 20. seminis Lini, & Fœnigræci, ana unc. 1. foliorum Maluæ, Althææ, uiolæ, Acanthi, Carduncеli, ana m. 1. coquantur omnia, in aqua. pinsentur, incernantur, adde axungiæ Porci, recentis liquatæ & colatæ, libr. 1. farinæ Lini, & Fœnigræci, ana unc. 1. fiat cataplasma. Addunt multi Cochleas cum testis tusas. Illas ego non aspernari soleo, ubi cutis densior est, ut in parotidibus, ac Bubone. Adijciunt quidam fermenti panis furfuracei craßioris unc. 1. humoris trahẽdi caussa, & rumpendi tuberculi. Id ego potius in carbunculis proba

probauero. Hoc superiore πεπτικὸν *mitius est. Re. farinæ Tritici. q.3. aquæ lib.1. olei de Lilio, & Chamæmeli, ana unc.2. coq; donec spissescãt, cum medulla 1. panis furfuracei, & Caricis simul incoctis, axungiaq́; Porci recenti, uel gallinæ, uel Butyro, fiat Cataplasma. Vetustus, rancidus & salsus adeps, Carbunculis disrumpendis aptior est. Alia propemodum innumera hoc genus remedia peptica, Errhyptica, Sarcotica, Epulotica, hic ego recensere possim: quæ ne lõgus sim, & quoniam in ueterum medicorum libris passim leguntur, de industria missa facio. Tuberculum si liuet, aut nigrescit, aut interius labitur, siue Carbunculus fuerit, seu pustula quæuis alia, ex difficilibus, nouacula scapellóue, ut altius uulnera nos impingamus, mox ægra pars scarificatur, deinde Muria proluitur, sanguis ut exeat, nec duretur. Plagis imponitur uel Cucurbitula, uel Galli deglabrati podex, uel ut multi uo-*

lunt, aut Rana, aut Cochlea. Hæc calidiora sunt in emissariorum tuberculis: in alijs sat conuenientia. His actis, quod tuberculum disrumpat, admouendum. Id ego in pueris olim è uitello Oui, & Sale pauco infriato, parare consueui, ac singulis horis renouare. Quod si eo malum incrudescat, Scabiosa sola inter saxa duo teritur, et cũ axũgia Porci salsa & uetusta pinsitur, ac superponitur, quod & hoc mõ fit. Re. Scabiosæ, & Symphyti maioris, ana m. 1. tere inter duos silices, cũ uitello oui, & axungia Porci uetusta, salsa, et rancida, salisq; fossitij paululo, fiat Cataplasma. Prosunt his, ualidiora, & cum nulla febris obsedit, & in partibus corporis, quæ lõge ab emissarijs seiũgũtur, quale est quod è Caricis, Fermento, & Sale fit, quale est & istud. Rec. Cãtharidas 20. cõterãtur in puluisculum, è quo ungentum fiat, cũ axungia Porci, renouetur ter, aut quater quotidie. Vehemẽtius fuerit & in duro corpore, ac cute

te spißiore: aptius, si quartã partẽ Saponis mollis adieceris. Ad hanc classem & hæc duo pertinent. Rec. Salis, Nitri, in puluisculũ triti, un. 1. Fermenti unc. 1. pinsantur omnia simul, & cum stupis imponantur. Rec. Calcis uiuæ unc. ß. Saponis unc. 1. Fermenti unc. 2. Salis foßitij drac. 3. fiat unguentũ. Horũ appositu, ne dolor incurset, malũ exultet, humor prauus intrò abscedat, circũponendũ emplastrum Gal. cuius hæc est descriptio. Rec. Arnoglossi. m. 3. panis furfuracei, unc. 6. farinæ Lẽtis unc. 1. coquãtur hæc in Aceto, deinde simul pinsantur. Addit Auic. Gallam, ac recte, sanguis tenuior si fuerit. Ad idem ualet Emplastrum, è duobus malis Punicis, in Posca uel Aceto decoctis: aut quod fit è terra Lemnia & Armenia Bolo, mixtis cum Oxyrrhodino. Ignẽ sacrũ cũ hisce tumoribus irrepsit, posteaquã uehemẽtia doloris nonnihil placata est, Auic hoc unguento demulcet. Rec. carnis passarum, Carica-

rū, Nucū ana unc.1. farinæ Ordei unc.3. Sapæ, lib.1. fiat unguentū. Hoc coquuntur ac rumpuntur Carbunculi. Diſciſſus Carbunculus, unguēto è ſucco Apij, Plantaginis, Abſynthij, Melle Roſacco, & farina Ordei, ſimul coctis, ac Terebinthina, lota, detergitur. Poſt carne impletur, ac cicatrice tegitur. His remedijs cōſultus, prudens, ingenioſus, diligēs ac iudicio limato medicus, quātūuis arduas morborū difficultates euicerit, induſtria præſertim, cura, & opes medicamētarijs abūde ſi ſuppeditauerint. Hæc enim ſi nō ſuppetāt, ægris unde opitulētur medicis nō eſt. Quapropter deſerti fato cōcedūt, letali morbo, quē ſanari poſſe remediorum materia ſi medico ſuggeratur, in ſpe fuit. Abſorbet peſtis multos, quòd in re tenui nō eſt, unde medico numerent. Nam ut certū eſt ac præſens diſcrimen, eorū qui cum ægris uerſantur, ſic ex medicis pauci, non niſi maximis præmijs adducti, in tantum periculum

ſeſe

ſeſe committunt, & ſapienter, ut quidem ſentio: quoniam & multos incautius ſe obtrũdentes, ruina cæterorum inuoluit, ac oppreßit: Et quamuis dies multos, citra noxam ad ægros medici nonnunquam adeant, caſu tamen aliquo in eas tandem compelluntur anguſtias, unde ſeſe educere non poßint. Paulatim enim ſic malum conſuedine radices agit, ut nulla ratione poſt extirpari queat. Cæterum ut medicorum abſentia ſalus multorum afflicta eſt, ſic & Cheirurgorũ imperitia orbati uita quamplurium: dum quos uexari nõ oportuit, eos erepto ſanguine labefaciunt, quas ſanguine profuſo ægritudines medicari conueniebat, eas nullis auxilijs tractatas, dimittunt, ac perperam in alijs omnibus remedijs hoc pacto iudicant. Qui autem ex illis doctrina & literis politi ſunt, uſúque rerũ mala hæc procurare uere ſciunt, maximi lucri ſpe niſi alliciantur, periculũ horrent: ac uitæ conſulere, quàm cæteris

nulla

nulla mercede inseruire malũt. Nobis enim proximi ipsi sumus, nemoq́; est tãta occæcatus amentia, qui de sua salute potius, quã aliorũ solicitus nõ sit, maximè in cõtagione tam cita, & rapida. Hactenus de remedijs. Nunc quomodo alendi sint ægri trãsigamus. In cibo dãdo Galenus libris Methodi uiriũ cõseruationem præcipuè nobis captari uult. Eæ si unquã alias, hoc certè in morbo tuendæ nõ solum ac retinendæ maxima cura sunt, sed etiã firmãdæ, augendæ, roborandæ. Hoc quidem παράδοξον, ijs uidebitur, qui magistro Hippocrate, cũ in morbis acutis cibãdos ægros esse parcius didicerint, in pestilenti febre quæ celeritate ac uehementia nullas nõ anteit, uictum parcißimũ iniungunt. Bene Hercle, ac recte Hippocrates, sed cuius dictum ad morbos acutos nõ uenenatos trãsferendũ sit, ac uires non prorsus exolutas, quas idem ipse collatione cum morbi uiolentia, explorãdas esse ratus est. In his uerò morbis,

bis, cum humoris ueneno spirituum magna copia disijciatur, & uires exhausto spiritu cõcidãt, statim tũ reparãdæ illæ fuerint, tum spiritus reficiẽdi, ac restituendi, quod cibo sæpiusculè sumpto nos consequimur. Multos esse certo scio quibus uitu peretur hæc animaduersio. Cæterùm illi si attẽtius rẽ expenderint, & mihi suffragabuntur, aut potius ueritati, à qua prudens inter disputãdũ nunquã desciui, & aliorũ qui in hac re peccãt, errorẽ coarguẽt, quẽ satis superq́; ipse rerũ euentus, palã facit. Neminẽ enim ex ijs qui sic habiti sunt, non ad mortem deductũ fuisse memini. Sed & Galenus ut ueterũ etiã testimonio nitamur cibũ in accessionibus febriũ se dedisse scriptis mãdauit, cũ ægris animum morbi uis ademisset, quod in peste frequẽtissimũ est. Auic. cibis, uel firmissimis uel affatim nutriẽtibus, & acidis omnibus, appetentia ne contrahatur, ut Lenticula, ex Aceto, carne Pulli, Alaudarũ, Perdicum, auicularũ quæ

in montibus uiuunt, Hœdina *paſcendos eſſe tradidit, cogendosq́; ſi recuſent ad cibum capiẽdum:*Hæc *eadem in* Raſeos *decimo libro, ad* Almanſorem *monumentis extãt.*Quod *ergo multi hoc ſeculo faciũt, ægri fame & inedia minime diuexandi ſunt, ſed modus hic terminandus eſt, ac exequendus.*Prima *quidem luce, qua morbus corripuerit, uentriculus adhuc cibo ſi premitur, aluus bona faciẽda eſt* Clyſtere. In *horas duodecim cibo abſtinẽdum. poſt ſorbẽdum uel* Amygdalatum *uel* Pulli *iuſculum cum quo coxerint ſemina 4. frigida maiora &* Oxalidis, Ordeum, Cucurbi*tæ pulpa, acerbæ uuæ, duæ uel tres.*In *lancem iuſculum effuſſum cum fuerit, priuſquam ſorbeatur, inſtilla ſuccũ* Leimonij, Arãcij, Citrij, Oxalidis, Omphaciũ, Acetũ. Morbus *uerò ſi ieiunũ ac ſiccũ hominẽ prehenderit, is offas duas, uel tres hoc iuſculo maceratas edito: poſt, iuſculũ addito,* Croci *tantulo, ſorbeto.*Hoc *idem fiat*

quota

quota quoq; hora sexta, & noctu & interdiu. Altera die, eadem prorsus ratio teneatur, nisi præterea uelis malum Pyrum, Cydonium, cocta in pruna, uel sub testu, aut in olla aqua uacua, Sacchara cõspersa, dare. Priusquam cibus offeratur, manus, facies, os abluendum. Posca, acinorũ Punici Mali, uel acidi, uel inter acidum et dulce medij, cochlearia duo exugẽda sunt, elota prius Rosacea. Mẽsa postrema pro Bellarijs esto, uel nudũ, uel Sacchara tectum semen Coriãdri, aut panis tostus, ea lege ut nihil post bibatur Tertia die præter memorata cibaria, ut indulgentius paulo accipiãtur, ac uis corporis redintegretur, spiritúsq; in eorũ qui sunt dilapsi locum, sufficiantur: pullorum pedes, alasq; summas arrodere, ac Galli iuuenis testiculos comesse, & carnis succũ ac uinũ bibere permitto. Modus quo carnis succũ elicimus, apud Auic. est, cap. de curatiõe torminum, ac doloris Coli. Appetentiæ dãdæ

caussa, cibus acidis perpetuo condiendus, ut aqua Rosacea, & Aceto. Quarto die glaciatũ ius præter superiora cum panis frustulo, uelut auctario quodã, præbeo acidũ, ut appetẽtia semp efficiatur. Glaciatũ ius fit è carne Perdicis, Pulli, auicularũ, quæ pedicis & aucupio decipiũtur, cum pauxillulo Cinamomi, Caryophyllorum, Zingiberis Croci, quæ integra sũt inijciẽda, nõ pistillo cõminuenda: 4 seminib. frigidis, ac Cydoniorũ, & Psyllij, Aceto, & Omphacio. Quinto die pariter ac sexto, usq; ad septimũ nihil immutandũ, nisi forte pulpam alæ, uel Pulli, uel Perdicis minutim incisam, sed parcè admodũ exhibeas. Hanc progreßionẽ in uictu finiendo sigillatim, & ordine tradere placuit, ut intelligatur, tametsi pestilens morbus acutus sit, peculiarem tamẽ constituendi uictus modũ habere In alijs enim ad statum usq; è pleniore uictu ad tenuiorem proceditur: Hîc uero contra è tenuiore ad pleniorem. Bibenda decocta frigida, cum aliquo ex

Syr

Syrupis acidis. Vinum ex ægris sunt qui tam auide petãt, ut cupiditate ac desiderio nõnunquam deficiat animus. Iis ego & faciẽ, & os, ut diluto uino abluant impero, quotidie: Die uero tertio, nunc dum prandent tantũ semel & principio, nũc dũ prãdent ac cœnãt, uinum bibere permitto, album, pellucidum, subacerbũ, suaue, quarta parte aquæ decoctæ, ac refrigeratæ temperatum. Tantæ ægrorum cupiditati ex medicis nonnulli paulo durius se opponunt, uinumq; peruicacius deposcentes ac efflagitantes obiurgant, & increpant, postulationi resistentes, nescij quantum appetentis naturæ uis qua & belluæ præditæ sunt, nos incitet, ac eorum det appetitus, quæ utilia sunt: fugam uero ac declinationẽ monstret, eorum, quæ nocẽt. Vini cupiditate æger si non flagrat, uel si uinum alioqui gustanti amarum & insuaue sit, Cydoniorum, aut Punicorũ succus bibendus, cum Iulep Rosaceo, uel aliquo alio ex acidis, quæ supra retulimus. Aestus

Vinũ ex[illegible]

febris si perurat, frigida æger explendus si torosus, bene habitus ac carnosus fuerit, nō macer, attenuatus, imbecillis: si natura frigidus uentriculus nō est: si nulla uiscerū Phlegmone, si aquam bibere consuetus. His enim conditionibus aquæ dandæ potestatem Gal. in Metho. facit. Iisdē quarta quoq; hora, dandum uel iusculū, uel iulep aliquod, uel instaurans Cardiacon: & si animo cadunt, uinum dilutū, cū offa panis aßi, quo auxilio citißime, discedens animus reuocatur, Gale. si fides est. Aegro cibato, duabus horis post, tuberculis admouenda, quæ antea nos remedia præscripsimus. Vbi præterierit dies septimus, extra periculū iam uita fuerit, ac Crisim aliquā natura commouerit, & absoluerit, abundantius ægris datur Pulli, Perdicis auicularum, quas pedicæ dolis uenamur, elixa caro. Nam elixa in febribus magis quàm assa conferunt. Hœdina, Hœdi intestina, acida iuscula, nisi aut inualidi nerui, aut

pect

pectus angustius & astrictius fuerit. Tum enim acidorum noxa magna cura emendãda est. Cætera ut in Prophylactice nos diximus, constituenda. Carnem ego nullam uesperi in cœna dandam esse plane censeo, tum quia in bilioso uentriculo, ac impuro nõ recte coquitur, sed usta & magna corruptela deprauata, febriũ ardores duplicat. Nõ pura enim corpora, quãto magis aluntur, tanto magis lædũtur: Tũ quia mora in uentriculo, somni diuturnitate, & caliditatis uehemẽtia, quæ tũ magna est, caro putrescit ac uitiatur, & febribus incrementũ adfert. Auenatũ ergo, Amygdalatum, Ptisana danda potius, uel Malum, uel Pyrum, uel Cydonium coctũ, in iusculis parata cucurbita, Lactuca, Portulaca, & si uentriculus admodũ æstuat, Lactuca cocta, ac minutim cõcisa, eo modo cõdita quo Spinachia solẽt, sed cũ oleo paucißimo, quoniã facile oleũ incenditur. Coquũtur Suis pedes, et Hœdi in aqua, & Aceti paululo, cũ seminibus frigidis qua-

N 3

tuor minoribus, Psyllij, Cydonioru͂, Papaueris, Cucurbitæ minutatim cōfecta, Oxalide, Omphacio. Iusculu͂ hoc datur sorbēdu͂ cu͂ panis tribus, uel quatuor offis, quæ post in cibo sumantur. Crebro alimentum offerēdu͂, sed exiguu͂ semel, ut spiritus qui ab humore uenenato ꝑpetuo disturbātur, ac disiiciu͂tur, æger recuperet: eoru͂q; materiā nēpe sanguinē recentē naturæ bonu͂ ac puru͂ subministremus. Itaq; nō cōmittē dum est, ut uel esuriāt ægri, uel sitiant. Os squalidius, & scabru͂ abluēdu͂ aqua, Syrupis, quos antea memorauimus, sitis satianda. Pestilētis morbi grauißimu͂ Symptoma est, quod Zonā uulgo nu͂cupant. Ea sic fit Pustulæ nōnu͂quā per febres pestilētes, fuscæ, nigræ, liuidæ existu͂t in partibus corporis à glādulis emissarioru͂ seiu͂ctis, ut in fœmore, tibia, capite, brachio, humeris, quaru͂ feruore, et caliditate succi corporis attracti, glandulas in traiectione replent, et attolu͂t, unde Bubones fiunt atq; Carbu͂culi. Ab ijs tāquam solidis quidā neruus,

Zona sympt[oma] grauiss[imum] [pesti]s

in partẽ uicinam distentam, ac ueluti conuulsione rigentem, producitur puta brachium uel tibiam, nunc rubens, nunc fuscus, nunc obscurior, nunc uirens, nũc Iridis colore, duos uel quatuor digitos latus. Huius summo qua desinit in emissarium, plerũq; tuberculum pestilens uisitur, altero uero extremo qua in propinquum mẽbrum porrigitur carbunculus. Hoc scilicet malũ uulgus Zonam cinctúmue nominat, periculosum minus, cũ hic tuberculo, illic Carbunculo terminatur, quã si tuberculum in capite solum emineat. Humores nãq; uitiosos, in artus, et extrema corporis procul à uisceribus & primarijs partibus faustum est ablegari, uel multis, si res ita ferat, tuberculis. Sic enim principales partes, iniquo se leuant pondere, humoris uitiosi quo grauabantur. Sumpta est hæc appellatio à cinguli, uel cinctus similitudine. Qui hoc in morbo sũt, curãtur uenæ sectiõe, purgatiõe, Theriaca, puluere electuarij de Bolo sũpto ex aqua Scabiosæ.

Cura in Zona

et Rosacea. Tubercula irrigātur, decocto Chamæmeli, Anethi, Maluæ, Althææ, Meliloti. Pustulis quæ prorsus Carbunculi sunt, inijcitur uel Scabiosa trita, cū uitello oui ac Sale: uel emplastrum de Malis Punicis. Carbunculus qui in altero Zonæ capite feruet, aut nouacula, aut scalpello dirimitur: aut Hirudinibus laceratur. Postq; admouetur Cucurbitula. Imponitur qua sanguis manat, uitellus oui, cū Sale: In ambitu uero, quod repellat affluētes humores astringens medicamentū. Cætera Syrupis Cardiacis, cōditis, Epithemate refrigerāte odoramētis, totū negociū cōficitur. Attēdendū huiusce mali duplicē esse, ac disparē materiā, tenuem alterā unde Carbūculus: pinguē, & crassam alterā, unde fiūt tubercula. Aliud est & ægritudinis huius symptoma, sanguinis uel primo die uel sequ. excreatus, fissa uena, aut arteria, in pulmone seu mēbranis pectoris, ob Carbūculos innatos, aliáue tubercula, quæ si nō hiscāt mox occidunt: si dispescūtur, prorūpente

san

ſanguine,uita expellunt. Quare in tantis anguſtijs malũ quã ſit pernicioſum,uel me tacente quiuis intellexerit. Expuitur *& nõnunquã ſanguis,qui per uenas,& arterias integras ac illæſas, uelut exudatione quadã,trãſfluit:ut in* Pleuritide,*ſorte quidem graui,ſed quã ſuperior minus pericu loſa.* Diſsiliũt *in ijs uenæ, quorum pectus cõtractius:iuſto plus adductũ:uoracibus, guloſis,temulẽtis,uinoſis, intẽperãter uitã traducẽtibus,ſanguine ob deſuetã uenæ ſectionẽ,redũdãte.* Hic *magnum eſſe præſidiũ in* Armenia Bolo *quidã ſentiũt,pro pterea quod ſiccet multũ,adſtringat,repellat introrſum,& patentes uenas cõglu tinet,ac ferruminet.* Illorum *ego ſentẽtiã nõ cõprobo.Quãuis enim* Bolus Armenia *cõmittat diductas oras uenarum, eoq; nomine uſui ſit,quia tamen corruptũ ſanguinẽ,in cor unde pellebatur regerit,efficitq; ne dirus & teter uapor exhalet,illã dare ſemper refugi,maxime poſt triduum cũ multũ uenenatus humor,in cordis iam*

locũ appulit. Quod uero Bolũ Armeniã, script. suis Auic. laudauit, ad pestilentes morbos utilẽ, id quidem uerũ est in Prophylactice, nõ si pestis iam irruerit, uel si tum auxilij quidquam in ipsa situ fuerit, requirẽdũ id pfecto est, ut antea diximus, primo triduo, quo & Theriaca multorũ opinione solũ usurpãda. Illa enim uenenũ antrorsum propulsat, ipsi ut credunt, non foras educit. Quamobrẽ nec hanc, nec Bolum Armeniam supra tubercula extrinsecus admouẽt: tametsi Bolo recte circũlini ea poßint, ut astringentibus alijs medicamentis. In pestilentibus atq; adeo cæteris acutis, & quæ nihil intermittunt, ob ualentißimum calorẽ Theriaces nõ pauci, usum extimescunt. Quàm sapiẽter ij uiderint. In febribus nõ aßiduis, eo die qui liber ac uacuus est ab interuẽtu febris, Theriacẽ opportune datã usum magnũ habere ijdem existimãt: q̃d nemo nõ cõcesserit. In secretu sãguinis, cũ nihil dissuadet ac plenitudo est, ambæ quæ sũt ad malleolos uenæ secãtur,

tur, aut quæ in brachio media est. Tantùm sanguinis adimitur, uires quantum ferunt. Bibitur Iulep Rosaceum, Syrupus de Omphacio succo Citrij, uel Limonij, ex aquis Cardiacis. Sanguis ne fluat, haud laborandum est cum ijs, quæ ualidius astringunt: quin potius cũ uenenatus sit, ut diffluat sumendum pro astringentibus: dãda quæ leuiter abstergant, ut aqua tepida, uel Ordei decoctum cum Saccharo, & quæ in Pleuritide, ut sputũ facilius reddatur, præscribimus omnia: præsertim in secũdo illo genere Hæmoptoiseos. Est & quod in morbis pestilentibus usu uenire ego pluries obseruaui, aliud huiusmodi. Valentibus, robustisq; iuuenibus, febre pestilenti implicatis, sub ala in mirabilem modum glãdula tumuit, mollis appresso digito cedens, nunc flaua, nunc liuida, nunc colore bono, ac nihil alieno, qualis est in partibus corporis dum bene ualẽt. Doluit brachiũ totum, iam inde à tumore usq; ad summos digit

digitos. Die quarto recursu humoris ad cor, & dolor se remisit, & tumor subsedit. Medicis, ac ijs qui tum adfuerunt, bona omnia lætáque augurantibus, cum interea pulsatio micatioq; arteriarum obtre misceret, ac pulsus esset is quem Græci μυρμηκίζοντα uocant: lotiumq; turbidum ut in ueterinis: æger quinto die, morte captus est. Hos in animo uoluebam, ac reputabam mecum, sanari posse altius incisa glãdula, qua ratione me auertit, ægrorum ærumnosus status, qui magnã certe misericordiam habet. Cõscientia præterea ipsa, quæ audaci nullo facinore bonos obstringi permittit. Curari quoq; posse ego speraui, multis alteq; demissis scarificationibus, deinde Cucurbitula imposita, sanguini multo eliciẽdo, qui uenenatus est, admotisue Hirudinibus. Et tumor cum minuitur, reuocãdo humori, qui ad cor properat Cucurbitulis affixis, alijsq; Epispasticis. Nullis ne sanguinis quidẽ missio profuit

fuit, augeſcēte perpetuo tumore, uſq; dū nigris Exanthematibus corpore maculato, humoreq; uenenato diſperſo in habitum corporis totius, naturæ uitā ægri redderēt. Nōnullis in hiſce febribus os interius, & fauces extumuerūt nūc molli, ſæpius duro, alias molli primū tuberculo, deinde ſenſim obdureſcēte, cū deglutiendi magna & moleſta difficultate. Quibuſdā id ſolū malū nō fuit, ſed quod & Parotidas ſecū inueheret, toto collo in molē ſtupēdā, ac tumore elato. Hi ſanguinē expuerūt, morbus aliquātulū cū foret progreſſus v i. die, uel x. partim eorū x i i i. uel x i. extremū uitæ diē morte cōfecerūt. Idē curatiōis hic modus qui & in alijs tuberculis, ſanguinis miſsio, purgatio Syrupi cardiaci, Epithemata, odores: idq; ſi opē medicorū principio æger implorauerit. Morbus enim ſi confirmatus eſt, caſſa uanaq; uniuerſa remedia fuerint. In peſtis lue ſæpe ſolent ea de quibus nuper meminimus, Exanthemata uaria coloribus, nunc atra, nunc liuida

figu

figuris diuersa, nunc lata, & diffusa, nunc uelut signata pūctis efflorescere: medicorū uulgus morbillos nominauit: prisci Latini Bouillas. Quibus annis pestis nos afflixit Septembri, & Augusto, quo maxime tempore solent apparere, propter æstatis antegressæ ardores, æstus & squalores illæ prodierunt, in adultis maiores, latiores, tenuiores: in pueris, ac infantibus, pauciores, ac spißiores: senescente pestilente febri, per crises è bili natæ, quæ uidelicet æstate proxima, in hominum corporibus aggesta fuit. Conualuerunt quibus febris hoc modo finijt, præsertim medicorum auxilium si ad naturæ conatus accessit. Vt aūt Bouillæ undequaq; facilius erūpāt, ab aëre frigido, sūma cura ægri defendūtur: Coccineis pannis inuoluuntur: spōgijs duabus sat patulis & magnis, decocto Meliloti Chamæmeli, florū Stœchadis, et Rosmarini, madefactis, ac inter orbes ligneos duos expreßis, sed adhuc calētibus, pectus, ac totidē spina dorsi fouetur.

Vbi

Vbi refrixerint, tollũtur, earũq; loco inferuntur tepentes, aliæ. Tegitur pannis calfactis ea pars, quam fouit spongia: id fit nullo dũ cibo sumpto, aut cùm è uẽtriculo cibus desederit horis propemodum singulis. Bibetur hoc decoctum, quod ad Exanthemata producenda mirificè ualet. Re. Caricarum, Lentium ana. unc. i. fiat decoctum, quod cũ puluisculo Laccæ ablutæ, & Croci bibatur. Mirationẽ fortasse quibusdam fecerit, quòd Octobri mense, horum Exãthematum ne uestigium quidẽ in febribus, ac tuberculis pestilentibus, unquã fuerit, superioris cùm æstatis squalor etiamnum duraret. Hoc nimirum pẽdet è diuersitate caussarum pestis. Hîc enim superior, illic inferior potest magis efficienter: Alicubi utriusq; potestas, æquabilis est, pro cõditione illorũ corporũ quæ afficiũtur, et regionũ situ, ac natura quæ caussarum uim recipiunt Toto quidẽ Octobri mense inferiores caussæ uiguerunt, cælo multis imbribus pluuio, nebulis fœtẽtibus,

pin

pingui humore, largo, & pigro: calore graui. Quare & pestilẽtes morbi id tẽporis suborti, diuturniores, ac tutiores præcedentibus fuerunt: nec ut alijs perinde lethales. In his quidem tractandis morbis, sunt qui operã medici, ut inanem derideãt, quoniã uis mali, tam cita sit, tamq; abrupta, ut remedia quæuis eludat, testẽq; huic fabulæ citant infaustũ plerisq; hac ægritudine functis euentum. Iis nos respondemus, multa sane haud opera dedita, malóue consilio, medicos ignaros, indoctos, & inexercitatos, sed imprudẽtia, rerũq; ignoratiõe peccare: scientes uero ac doctos, tametsi pro cõditione sua munus officij præstent sedulò, non id tamen assequi semper, ut ægros è perdita ualetudine reuocent ad sanitatem. Quod enim uersiculo triuiali canitur, Non est in medico semper releuetur ut æger. Cæterùm ut inscitiæ medicorum nihil adblãdiri uisum est, sic & eorũ qui probri uniuersũ medicorũ ordinẽ insimulant, stoliditatem ego & amentiam ferre,

ferre, ac ſiléntio tranſire non poſſum: qui chariſsimam rerum omnium ſalutem non quidem medica diſciplina tinctis cōmittant, non medicinā profitentibus, ſed aniculis, præſtigiatoribus, circulatoribus, ſortilegis etiam ac incantatoribus. Si quid ergo ſecus cadat, quàm ij uelint, quæſo cur ſe non potius accuſent, ac ſecum ipſi expoſtulent, quàm præter meritū hac medicos aſpergant infamia. Sed de his hactenus. Nunc quod dignū ſcitu eſt, præſertim medicorū ijs qui morbi peſtilētis impetus auxilio ſuo retardaturi ſunt, explicemus. Id autem eſt, ſanguis mittēdus, purgatioq; an danda ſit, in his morbis necne: Itemq; an dormiēdum, ægris, pariter & uomēdū. Auic. lib. 4. cap. de uenenis, omni ſtudio uenenum in corpore latens, foras euocādum eſſe dixit: quòd ſi uerum eſt, nocent hæc omnia, quibus, ut idem ipſe ibidem ſenſit, uenenum introrſum pellitur. Præterea lib. 1. Aphoriſ. Hippocrates ſcripſit, ſequendā eſſe naturam, humoresq; noſtri corporis

illò cõuertendos, quò ipsa nititur deducere. At uerò quãdoquidem illa tumoribus excitatis, Carbunculis expulsis, profusis Exanthematibus, prauos humores foras eijcere conatur, idq; sibi tẽtari præ se fert, cur somno, uomitione, Pharmaco, Apocrousticis, uenæ sectione, introrsũ humores, ut antea dictũ, cõpellẽtibus, naturæ medicus obluctetur. At si remedia hæc negligimus, quæ Rasis, Aui. & uno uerbo cæteri oẽs, prodiderũt, quibus tãdẽ auxilijs pestilẽtiæ furor cõpescetur? ut in rebus cæteris, sic & in hac medẽdi ratiõe, tẽporis occasio diligẽter est cõsyderãda. Nã si hæc ꝑ initia fiãt, priusq̃ multũ humor in uenenũ deprauetur, & in cor meauerit, salutem plane reddũt: Alias uero nostris ut rationibus supra cõfirmatũ est, exitio sũt. Aliter quidẽ hoc distinxit Ioãnes Iacobus, medicus æuo nostro clarißimus, & amplißimus, ex doctrinaq; nobilis. Is. n. sic putauit uenenũ aliud in cor ſpõte cõcedere, quale est quod uel morsu, uel pũctura iaculãtur

feræ:

feræ:aliud inde secedere, quale est uiciosus humor, unde Carbũculus enascitur. In hoc, uenenatã esse partẽ eã solã quã extra uenas reijcit natura in Carbũculi materiã & proinde hic tũdendã esse uenã, maxime primo triduo, ne portiũcula ueneni è qua genitus est Carbũculus, totus reliquus sanguis inficiatur. In ferarũ uenenis, quæ recta in cor irrepũt, id nõ esse faciũdũ: quoniã sãguinis mißiõe, si Auic. audimus, uenenũ in cor protrudatur. Speciosa, bellaq; oratio, minime tñ ad ueritatẽ directa. Primũ enim, pace tãti uiri dixerim, quasi uerũ, quodq; donẽt omnes, ea sumit, uenenũ esse, quod à corde recedat. cũ ea sit natura ueneni cuiusuis, ut potißimũ cor appetat: deinde quod esse dißimile, is iudicat, omnino simile est. Nã et in Carbũculo, et in bestiarũ ueneno, sãguis principio uenis abstrusus purus est, ueneni uero extra uenas paululũ, quo sanguis uniuersus ni obsistas posterius corrũpatur, cordisq; robur uitale capiat detrimẽtũ, ac labefiat. Diuersum

id quidem eſt, quod uirus à beſtijs inditum eadem poteſtate uenenum ſemper eſt, non item uicioſus humor, quem foras amãdat natura Is enim dum extrinſecus putret, ac ſuccenditur, fit magis uenenatus. Qui autẽ ſic efferbuit, nulla unquã reſignata uena exhauritur, cũ humor qui uenis ſemel excidit, in eas ſe nũquã poſt recipiat. Quod igitur ex hac diſputatione, in ſummã concludimus, cum adhuc fluit humor alienus, necdũ ceſſauit à natura incitata defluxio, & qui extra uenas ĩn Carbũculũ uel tubercula cætera humor accumulatus eſt, nõdũ putruit, ac in uenenũ atrox trãſijt, ſanguis rite detrahitur, ea legis obſeruatione, quã nos antea ſanximus. Neque uero ut apud quaſdã gẽtes more cõparatũ eſt, quæ prehenſis utrinq; brachijs ſpaciãdo, & inambulãdo uigilare cogũt, adhibitis tympanis, ac tibijs, ut ſtrepitu dormitãtes expergefaciãt, ægri per triduũ in Carbũculis ſõno arcẽdi ſunt. Nã quibus ægre nihil eſt, ij tã lõga uigilia, ſi cõficiũtur, quãto magis,

qui

qui morbo laborāt, præſertim uiribus mali uehemētia iam proſtratis. Hos mediusfi*dius ſi nullo ſomni leuamento recreentur, perire ac opprimi neceſſum fuerit. Quocirca illos nōnihil dormire quotidie, donec triduum uel quatriduum abierit, puta duabus horis, uel tribus, concedendum: nō autem ſomno ſepeliri, nec diutius adquieſcere.* Itaq; *ſiſtendus* prope *illos fuerit, qui expergat, uel ſtertentes ſomnóque fruentes otioſius, uel manibus pedibusq; refrigeratos.*Hoc *enim defectum animi ſignificat, inſtātemq; mortem, ni ſuſcitētur. Qui ijs aßiſtet ſingulari uigilantia: id ſeruato, ne ſomni dulcedine ineſcati, perpetuo dormiāt.* De *uomitiōe ſic habendū, toto biduo eā iuuare, præſertim in corporis plenitudine, ut quod in uētriculo ſuperuacuū natat, foras elidatur, minimeq; traducatur in uenas.* Eadē *profuerit, & ſi qui ueneni hauſtū, bibitū, deuoratū fuerit, cū uenenū è uētriculo nōdū exceſſerit, ac nōdū in cor impreßionē dederit: ubi uerò nulla ple*

nitudo est, aluum Clystere laxari, quã uomitiones ciere præstiterit: & quod superest, omissa uenæ sectione, ac Theriace & Armenia Bolo, instaurãtibus, & Cardiacis Syrupis datis, mollientibus, & quæ leuiter discutiunt Epithematibus foras prauum humorem elicere. Verum enimuero quando toties, nostro sermone uersata est mẽtio ueneni pestilẽtis, quod in febribus, Carbũculis, ac tuberculis subest, quale uenenũ id sit, nõ præter rem fuerit explanasse, cum uenenorũ multiplex sit diuersitas, qua parum intellecta, & explicata, minus peruia, claraq; minus tota res futura sit. Venenũ sic Auic. mediciq; ueteres dispertiuntur, aliud ut sit propria peculiariq; natura uenenũ, aliud ut solis qualitatibus. Quod est prioris generis, obiectu suo necat statim, ac omnibus æquabiliter necessitatem mortis affert. ut Aui. exposui libr. 4. Haud uero tale pestilentiũ morborũ uenenũ esse inde cõijcias, quod magna ex parte, citius quã die III. V. VII. nõ interimat. Aliquos

enim

enim primo etiã die, uel altero, nos expi= rasse memoria retinemus:idq; uel propter humoris copiam, quo natiuus calor extin ctus est:uel imbecillitatem summã uirium, quæ morbi principio perculsæ repētè sũt: uel quoniã ab offēnsa cordis initium mali profectum est. Adde quod *& nullã interi tus necessitatē, pestis lues nobis imponit, cùm, in tempore medicus si occurrat sup= petias, multi ex hac ualetudine prorsum emergãt.* Cùm *ergo pestiferũ uenenũ qua- litate sola uenenum sit, restat declarãdum quibúsnã qualitatibus in calamitatem, ac perniciem nos trahat:calidis scilicet, qui= bus erodit, putrefacit, exest, ulcerat.* Qua= *propter* Auicennas *Carbunculos, ac tumo res pestilētes, si eo usq; uitæ usurã deus lar giatur, in* Gãgrænas, Sphacelos, *ac* ἐσθιο= μένους *tandem exire testatus est.* Vnde *certe planũ fit, uictum hic mandandum esse, qui humectet, ac refrigeret, ægrosq; nutriēdos iusculis carnium, in quibus frigida maio= ra quatuor semina,* Ordeũ, Omphacium,

uel iuscula, uel instaurãtia Cardiaca. Definiendus modus è uiribus ægri. Nunquam uenæ per inediam uacuandæ, inaniendæq; sunt. Nã quæ intra sunt, quãdoquidem, arcent ea quæ appellunt extrinsecus, ut Auicennas. lib. 4. scripsit, uenis contenti succi, & uenenatis humoribus, & aëri uitioso præcludunt ac obstruunt aditus.

De variis pestilentis febris Symptomatibus, & eorum remediis.

DE *Symptomatibus pestilentis febris, disserturo, absurdum nõ fuerit huius quæstionis principio, quidnam sit pestilẽs febris, quidue hoc uocabulo significemus, ostendere. Sic enim patefacta magis fuerint, quæ accedunt illi Symptomata. Febrẽ nos pestilentem uocamus, calorem intemperatum in humoribus, magis & magis ob putredinem morbo progrediente uenenatis exardescẽtẽ, à corde, uel in cor profectũ, quo primũ omniũ cor æstuãs, in uniuersum corpus ardorem dispergit naturæ*

lædentem actiones. Absoluta perfectaq; hæc definitio uidetur, neq; manca neq; redundans, singula si examinaueris. Harum quædã est diaria, quædã in humoribus accẽsa. Secũdi generis alia perennis, alia quæ se intermittat. Pestilentem enim cõplexu tenere unũquodq; harũ genus, è capite superiori perspicuũ est. Ob putredinẽ morbo progrediẽte, humores fieri magis uenenatos dixi, quoniã primo die uel sequenti etiã ij paululũ uitiati incussa caussa superiore, ac impressa, in uenenũ atrocius conuertãtur. Pestilẽtiũ febriũ cõtinuarũ, perquã acutæ, die quarto: ualde acutæ, die septimo: Celeres quidẽ, sed nõ insigniter acutæ, decimo quarto finiũt. Humor in quo febris cõcipitur, aut est in cordis finibus, aut in magnis uenis, & arterijs: qua situs diuersitate fit, ut uel cõtinẽter, uel interuallis certis, grauis qui febrem cõmittit uapor, in domiciliũ cordis subuolet. Hoc ergo inter pestilentẽ ac nõ pestilentẽ febrẽ, interest, quod humore uenenato pestilens, non uenenato quæ minimè pestilens est fouea-

tur. Hoc uerò perpetua, differt ab intermittente, quod incendium perpetuæ intra uenas sit cordi proximũ, ac nonnunquam in ipso corde, qua rerum cõditione sæpe animus deficit, & cor intremiscit, & subita mors abripit. Diuersum præterea hoc est inter acutas cæteras, & pestilentes, quod cùm periculosæ sint acutæ, omnes, ut Aph. 19. lib. 2. Hippocrates uoluit, lethalis sit pestilens, nedum uiolenta, ob humoris in quo succenditur aduersißimam naturæ qualitatem, ni sedulitate ac opera medici tam sæuo malo resistatur. Cor omnium primum humore uenenato incalescere, definitio proposuit, quoniam uenenatum id demum est, quo perniciosè offendi cor potest. Febris uerò tum procreatur, cùm uenenatus humor ardore deflagrans, æstum & flammam in cordis sedem pertulit. Nec temere unquam febris pestilens, citra tubercula, Carbũculos, Exanthemata, nos inuasit: Aliæ uerò nihil horũ secũ adportant. Porrò autem febris pestilentis hæc curatio est.

est. Aluus si tardior est, Clystere deijcitur, Cibus uentriculũ si grauat is uel excutitur uomitione, uel inedia coquitur. Post si priuata corporis natura id exigit, sanguis mittitur. Sin non requirit, purgatio datur, non expectata humoris cõcoctione, ut Hippocrates Aphoris.10.lib.4.præcepit. Confestim enim si pellendus humor est, qui huc illuc prouoluitur, ac irrumpit, nec unquã tumultuari cessat, turgentem ac furentem medici uocant, quanto magis uenenatus, cuius breui etiam mora in corpore, ac exigua copia, detrimentũ nos magnum facimus? Hic, qui Syrupi præscribuntur, nõ ut in cæteris morbis, coquendi id est attenuãdi, incidendi, liquãdi, ac fundendi humoris gratia, sed feruoris sedãdi caussa, imperãtur: nisi & hanc rationem, ut Galenus in arte parua, ad cõcoctionẽ reuocaueris. Cõferunt Syrupus ex Omphacio Leimonijs, succo Citrij, acidus, è Cydonijs, è baccis Oxyachãtes, è Berberis: Itẽq; Oxysacchara

ra dãda. Mox post Syrupos cõdita: Odores præbendi, Epithemata præscribenda. Bibendus ex aqua Scabiosæ, Oxalidis, Arbuti, unus ex Trochiscis de Caphura: cum puluisculo diamargariti frigidi, & Triasantali. Ex iisdẽ Trochiscis formãtur minuti globuli nouem uel etiam plures, ac inaurantur, & deglutiũtur. Iis qui potiones fastidiũt, his ego pilulis, subueni. Rec. Trochiscorũ de Caphura, de Succino, de Spodio, de Terra Lemnia, & diacorallou, ana un. ß. pulueris Triasantali drac. 3. pulueris diarhodωn Abb. & diamarg. frigi. ana dr. 1. Syrupi ex Omphacio, uel Oxalide, quod sufficit: figuretur globus, de quo sumat quotidie. hoc enim remediũ, cor roborat: sitim lenit: & si quod aliud eximia spe fer meq; explorata cõsolatur, ac morbi toto decursu ualet. Theriacã multi addunt, & rectè quidem, per initia: Morbi uerò accrementis, & uigore, iusto calidior ea fuerit. Adiiciũt quidã cõseruam Rosarũ, Buglosi,

glossi, Oxalidis idq; bona ratiōe Ego equidem nō has tātum, sed & corticē Citri cōditū Saccharo, in uentriculis frigidis probo. Trochiscorum è Caphura singularis usus est, in tabidis etiā febribus cōmendandus. Aluus segnior nō catharticis, ualidis, sed aut Syrupo uiolato, aut molliente Clystere, ducenda est. Acrius enim lacessita, in dysenterias, & diarrhoeas graues, ac difficiles prorūpit. Quapropter errāt, qui in clysterum decoctis Hierā picrā, diaphœnicon, Benedictam, & ualentia huiusmodi pharmaca, dissoluant, extra modum calfaciētia, ualētiusq; humores extorquētia, ac in ulcerationes intestinorū & letū praecipitantia. Enimuerò utilius fuerit, refrigerātiū herbarū succos cū Tryphera Sarracenica Clysteribus admiscere, uel eos hac prorsus formula parādos curare. Reci. 4. herbarū emollientiū, Scabiosæ, & Oxalidis, ana m. 1. quatuor seminū frigidorū maiorū, ana drach. 2. Ordei p. 1. Pruna. 10. fiat decoctio, cui adde succi Betæ, Lactucæ, et

Bugloss

Bugloßi,añ.un.2.Caßiæ,uel Tripheræ Saracenicæ,un.1.olei uiolati unc.2.fiat Clyster.Ventriculi doloribus inde natis quod bilis stomachū uellicet,ac lancinet,appetētiæq; lāguēti nos sic opitulamur.Re.Ros. rubrarū siccarū,p.4.pulueris foliorū Mēthæ,Absynthij,Melissophylli,corticis Citri,Coriādri,añ.dr.1.omniū Santalorū,Coralli,Mastiches,Caryophyllorū,Maceris añ.drac.ß. Caphuræ.scr.1.cōtundātur omnia,sed leuiter:includātur sacculo ad formā scuti consuto,qui irroretur aqua Ros. Caphur.admoueatur uētriculo,nisi forte æger sudauerit.Ad idē uētriculus Sātalino cerato inūgitur.Immoderatæ uomitiones sistūtur,rigato cū spōgia uētriculo Aceto in quo Rosas Nucē,Cypreßi,baccas Myrti,Gallas,Mastichē,Balaustia,Malicoriū decoxeris,et cætera quæ impetus uētriculi ad uomitiones effusi cohibent.Irritatur appetentia,condimento è succo Cydoniorū, Oxalidis,Punicorū,& tantulo Cinamomi, confecto.Sudor impetratur, cutisq; spiramenta repāduntur,mollibus Spōgijs

duabus immersis, decocto Chamæmeli, Meliloti, florũ Libanotidis, Stœchadis, ac Rosarũ obditis alis, & crebrò immutatis, sudore donec affluant. Cibus esto Gallinæ iusculũ, in quo decoxeris 4. semina frigida maiora, cũ Omphacio, Cucurbitæ, & Oxalidis, succoq́; Croci paululo, maximè si animi deliquiũ, uel tremor cordis immineere uideatur. Quibus cor palpitauit, eorũ iuscula, uel diamargariti frigidi puluisculo, uel Triasantali præter superiora condienda sunt. His & exhibere licet Malum Pyrũ, Cydonium, cocta sub prunis: crura, uel extremas alas Gallinæ, quas arrodãt, è uiridi cõdimẽto, quod accipit Omphaciũ, succos Oxalidis, Leimonij, Arãcij, Punici, cũ Cinamomi tantillo. Nihil in cœnam carnis offeratur. Aeger cõtentus esto aut Lactuca, & Oxalide, uel cocta uel cruda, ex Aceto: aut glatiato iusculo, offaq́; una, aut altera, eo madida: aut erosis Gallinæ cruribus, & summis alis, cũ panis tribus quatuórue bucceis, intinctis superiore cõ-

diment

dimento. Animi si defectus impendet, uel æger tabescit eius desiderio, uinum sed bonũ, odoratũ, lene, ualde dilutũ, in prandiũ bibatur, præsertim à quinto die, aut si crisis quæpiam antegressa est: nullũ in cœnã, nisi magna necessitas obuenerit, idq; quàm matutino dilutius. Manus, facies, os sæpius lauentur, aqua Rosarũ, & Aceto, uel sola posca, præterquam, Crisim natura cum molitur. Abluãtur quoq; pedes, ac crura, decocto tepido, Ros. Chamæmeli, Salicis, uitis, inani uentriculo: quoniã hac lotione, & somno ægri cõquiescunt, & sudore manãt. Vbi lauerint, ne perfrigeãt operiẽdi sunt, ac molliter in lectulo reponendi. Criticis diebus, aut Criticorũ nũcijs, quales sunt tertius, quintus, septimus natura sudorẽ si nõ effundat, uel si pigrius ac remissius effundere nitãtur, auxiliũ medicitũ adiungendũ fuerit, sudorq; medicamentis exciendus. Tertio quidẽ die, si prorsus natura cesset, Crisimq; nullam ipsa suscipiat, uiribus nõ ualde afflictis, ægroq; sat

patienter malũ ferente, quintus expectandus est. Et quia tum medicus progressum morbi, ac naturã uidet apertius, Et quia è cælestiũ signorum, ac syderum conuersione, traiectiõe, ambitu, Criseos nulla tertio die penitus occasio est. Etenim Luna cum in proximũ signũ trãscurrit, exẽplicausa, in Taurũ ex Ariete, nullus inter ea signa, prospectus est, nulla uis eiusmodi qualis ex astrorũ collocatione, dispositione, con tuitu, ad nos pertinet: quamuis altera, uel utraq; qualitate, ea dissideant, ut Aries à Tauro, Taurus à Geminis. Sin die tertio, circiter meridiem, facies rubet, undosæ au plenæ micant arteriæ, nonnihilq; sudatur. quæ omnia gliscentem sudorem, & appro pinquantem significant, tum eliciendus is est magnis spongijs duabus, imbutis decocto florum Chamæmeli, Meliloti, Rosmarini, Stœchados, Hyssopi, Calamẽti, Origani, Polij, singulo. Manipulorum trium. Exprimũtur eæ, & ut calent dorso pectoriq; admouentur. Ea Crisis quam tertio

die

die natura incœperat, ut dictum proxime fuit, pro bilis fit iactatiõe, quæ tertio quoq; die concitatur, potiusquam syderũ impulsu. Quinto die nihil si natura mouerit, ac eadem omnia fuerint, quæ in tertio nos antea designauimus, nempe & tolerantia ægri facilis, & constans uirium firmitas, in septimum diem spes est sustinenda, Si uero quinto, ignauius, ac tardius, ipso desinẽte die, natura paululum sudoris extundat, adiuuanda prorsus ea fuerit, quo pacto in tertio nos præcepimus, Et quia naturæ conatus imbecillior hoc efflagitat: Et quia diebus imparibus acuti morbi, planè recrudescunt, ac ingrauescunt, tametsi quinti diei principio, Luna ad id signum adeat, quod sextili conspectu nonnihil beneuolo ac familiari, signum in quo primum morbus aßilijt contuetur. Nisi uero placet morbum esse tum importuniorem, quòd ea signa qualitatibus pugnent inter se, ac dissentiant, præsertim ijs quas paßiuas nuncupamus. Septimo die,

si ut & superioribus fatiscat, lãgueat, torpeat naturæ uis, ei subsidio ueniendum: qua ratione antea nos exposuimus. Hoc meum consilium fuit, hæc mea prouidentia, in continua febre Cardinalis Albani, cuius prosperrimus successus, & uota mea & spem ita me dij ament, longe uicit. Die septimo si quid concoctionis iam ostenditur, non potest non fructuosa, & utilis esse opera medici, qui sudorem prouocat. Naturæ enim uel intentæ iam operi se præbet adiutorẽ, uel si prorsus iners, ac deses munus suũ defugit, illã ut officiũ exequatur stimulat. Præterea, septimo die Luna eius signi spacia peragrat, quod nõ solũ qualitatibus actiuis, & paßiuis: uel si nõ utrisq;, saltẽ actiuis: quæ dissensio maior est, & acerbior: sed etiam loco atque situ primo aduersarium sit: idq; aspectu quarto, odioso, maleuolo, & infenso prospiciat. Ex his scilicet rationibus, diligẽs, & callidus rerũ æstimator medicus, quãdo grauior aut leuior, quando lætior, aut

tri

tristior, quando celerior, aut serior, Crisis futura est, si hæc omnia secum deputet ac reuoluat, cogitatione anticipauerit. Hisce febribus, ut multis in locis antehac diximus, tremor cordis interuenire solitus est. Is uidelicet cordis, est quasi titubatio, ac uacillatio, seu tremula cõcußio. Hãc efficit quicquid cor lædit, offendit, ac debilitat, eiusq; actionẽ interrũpit, ac interturbat: idq; uel suo ipsius malo, ut et Græci loquuntur ἰδίως: uel διὰ συμπαθείας, si cum aliarum partiũ malis afficitur, atq; uiolatur, quod in his febribus accidit. Vnà enim cũ totius corporis ualetudine ꝑ febres pestilẽtes, sicut Aui. prodidit, hæret in corde hæc iniuria. Malũ hoc, uel cauemus, et depellimus, uel sanamus, & sedamus nõ tantũ edomita febre, sed & insuper Cardiacis, Epithematibus, odoribus instaurantibus. Quocirca uel odorãdũ ꝑpetuo quidquã est, ex ijs quæ supra memorauimus, uel urẽdũ, ac cremãdũ, ut eius uapore cubiculũ et ædes suffiãtur. Ad tremorẽ è qua=

uis caussa, hoc remediũ quod in Rasis cõtinẽte legitur, singulare, ac efficax est. Re. Spodij drac. 2. omnium Santalorum, ana dra. 1. Rosarum dr. 6. Caphuræ scru. 1. Coriandi, dra. 3. florum Buglossi, dra. 2. seminis Oxalidis, Citrij, Portulacæ, cucurbitæ, Ocymi, Melissophylli, foliorũ Sampsuci, ana dra. 1. Succini, Margaritarum, Serici, crudi, Xyloaloes, añ. dra. ß. Myrobalanorũ, flauarũ unc. ß. lapidis Lazuli, drac. 1. baccarũ, Oxyacanthes, dra. 2. Boli Armeniæ, terræ Lemniæ, ana. dra. 2. Coralli rub. Maceris, Caryophyllorum, Spicæ Nardi, añ. dra. 1. Hæc omnia terantur in puluisculum, è quo dato dra. 1. cum iusculis, Rosacea aqua uel Buglossi: succo Cydoniorũ, Punicorũ Buglossi: Aut in globulos formetur, qui post inaurẽtur. Porro autẽ ut cor in ijs febribus intremiscit, sic & animus delinquit societate & cõmunione quã habet cũ reliquis membris, uexato corde, ac spiritu, ob uapores uenenatos, toto genere infestos, ex uniuerso corpore in ipsum cõ

spiran

ſpirantes:ut & uel cœli, & aëris graui=
tate, ac peſtilentia, uel proiecti cadaueris
fœtore: uel cauſſa interiore, qualis eſt lum
bricorũ in ſtomachũ irruptio, halitusq;
uenenati acceſſus, quem tubercula per ar-
terias in cor extulerũt ac ſubdiderunt. Cu
ratur hoc malum ſublata cauſſa odoribus
frigidis, lotis manibus. Poſca, ore conſper
ſo Roſacea, Caphurata: & ſi æger recu-
bet in lintheis lineis, Roſis & Moſcho fra
grantibus: id enim ſpiritus refocillat Su=
mitur crebrius puluiſculus Diamarg. fri=
gidi, & electuarij de gemmis, è Roſacea
Saccharata. Bibitur uinum craßius, &
nonnihil aſperum, ualde dilutum cum cibi
quod ſatis eſt sũpſerit. Sorbetur aqua car
nis cõdita Santalis, Moſcho, Caryophyll.
Cinamomo, Macere. Panis turunda ſucco
Punicorũ & Roſacea Moſchata imbuta,
exugitur. Adhibẽtur omnia cætera, quibus
animũ colligi, & cor exhilarari ſupra di
ximus. Harũ quoq; febrium Symptomata
ſunt, & Aſthma, & Pleuritis, quã Philo=

laus ſputũ ſanguinis peſtilens nominauit. Qua ratione his medendũ ſit, libro noſtro de curandis morbis, expoſuimus, capit. de pleuritide peſtilẽti. Lingũtur Penidia, Saccharum candefactum, Diatragacanthũ refrigerãs, ſuccus Glycyrrhizæ, Syrupus de Zyziphis, Papauere, uiolatus. Mitigatur dolor unguento reſumptiuo, Dialthæas, oleo Chamæmelino, nũc hoc nũc illo, pro cauſarum uarietate. Calidius nihil dandũ, febris ne augeſcat. Temperatis ac moderatis omnibus, utẽdum. Per has quoq; febres diſperſa Exanthemata multis in corpore locis prodeunt, facilia curatu, ſi tertio, quinto, ſeptimo, die extiterint: necubi maleficus humor retineatur, ab eóq; defenſa ut uiſcera ſint, & prorũpenti exitus cõmodior pateat, bibẽdũ decoctũ Lentis, Caricarum, & Pulmonariæ, quã uulgo à maculis exanthemata referentibus uocauerũt l'herbe du Tac. Bibitur ramẽtum Monocerotis, ex aqua Bugloßi, Oxalidis, Arbuti, Spõgiæ decocto Chamæmeli, & florum

Roſm

Rosmarini, madefactæ imponūtur. Pānis rubris æger uel coccineis inuoluitur. Spiraculis, quibus pertusa cutis est recludendis, loco tepido, sic cōmorandum, ut nusquā uentus aspiret, nusquā frigidior illabatur, quoad prauus humor totus, quod fere triduo fit, in Exanthemata cōsumptus sit, quo tēporis interuallo, nec frigida manus lauandæ, nec Aceto: nec aliud quidquā nisi tepens sumēdū, sicut & decretorio quouis die, nihil extrinsecus admouendum, nihil intrinsecus sumendū quod tepefactum nō sit. Frigidis enim crassescit humor, qui solet in sudores liquescere, actioq; naturæ sic interpellatur, quamuis iuuenibus torosis, robustis, ualētibus, carnosis, aquam bibere consuefactis, eamq; postulantibus ac expetentibus, ijs ipsis diebus nuper exceptis, frigidā potare concedamus, quod tamen non nisi magno iudicio, cautioneq; diligenti, & accurata indulgēdum est. Intercidunt & his febribus παραφρενίτις, λήθαργος, κάρος, defluxio, uel κατάρρους,

quibus auxiliamur, humoribus ualido cly ſtere deorſum præcipitatis, & abſtractis, uel glandibus uehementioribus, è Sapone ſolido, & Sale foßitio: frictionibus & religationibus artuum: lotis cruribus, decocto Roſarũ, Meliloti, Chamæmeli: impoſitis uirorũ teſtibus, fœminarũ mammis, ſed circũſpectè, ac prudenter, quæ & re ipſa & poteſtate frigida ſint, quale hoc eſt. Rec. ſucci Solani, Sẽperuiui, Hyoſcyami, Aceti, añ. unc. ß. Croci, opij añ. dr. 1. fiat unguẽtũ cũ oleo Mãdragorino. Coma tõdetur: detõsũ caput lauatur, & irrigatur decocto Roſarũ, foliorum Salicis, Ordei, Glaucij, calycũ Papaueris, florũ uiolæ, ac Nymphææ. additis in morbi uigore, Chamæmeli p. 3. Peruigilibus ſomnus cõciliatur, puluiſculo ſeminis Papaueris immiſſo iuſculis: aut illitis naribus, hoc unguẽt. Re. olei Roſati, uiolati, è Nymphæa, & Mandragora, ana. unci. 1. Opij ſcrup. 1. miſce, fiat unguentũ, ungitur & frons unguento Populeo, cum Aceto Roſaceo. Hanc con

fectio

fectionem æger odorator. Reci. Opij dra. 1. Croci scrup. ß. Rosarũ, uiolarum Nymphææ, omnium Santalorum, ana. dra. 1. terantur in puluisculum, quem uel lintheolo illigatum, uel mucco Tragacanthi exceptum, & in globum figuratum æger sæpius olfaciat. Per morbi uigorem Veruecis, Arietis, ouis pulmo, ut è pecude mactata, & dilaniata calens auulsus est, fronti & syncipiti admouetur. Lauatur caput decocto Rosarum, Meliloti, Chamæmeli, Stœchados, & Rosmarini, ana. p. 3. Aeger ueste, ac stragulis probe contegendus & contra frigiditatem aëris muniendus, ne uenenatus uapor, animæ frigidioris occursu intro ad cor refugiat. frigidis quæ supra nos recensuimus, in defluxionibus, ac Catarrhis nõ temere audacterq; sõnus captãdus est. In Synanche, quæ has febres consequitur, hoc decocto, per initia, fauces colluuntur. Rec. Balaustiorũ, acaciæ, Hypocystidos, Gallarũ, malicorij, añ. un. 1. cũ morbus increscit, caricarũ, passarũ añ.

unc.

unc.1.ß. Ordei.p.4.fiat decoctum. reliqua petenda sunt è nostro libro de curandis morbis.cap.de Synãche. Coli & eilei cruciatus, qui nõnunquam has febres comittãtur, Clysteribus, glandibus, Cataplasmatibus impositis uentri, sacculis semine Lini, uel furfure impletis, & tepida maceratis, nisi febris hãc impediat curationẽ, mulcentur, ut & in libro nostro de curãdis morbis, latius nos persequuti fuimus. In Sopore, uel Caro, obrutos nos sõno, ægros expergefacimus, & remedijs supra cõmemoratis, et Aceti olfactu, & uoluptate αὐλήτου Citharistæ, Tibicinis, Musicorũ, qui placidius & suauius cõcinãt: & fabularum ac historiarũ narratione, quarũ expositio ægro iucunda sit. In Strãguria quæ per has febres cõtingit, decocto Meliloti, Chamæmeli, Maluæ, Althææ, Rosarũ, florũ Stœcadis, & Rosmarini, fouentur pecten, sumen, aqualiculus, perinæõ, pubes. Decocti magma cũ lintheolo ijsdẽ partibus admouetur. Pulex, Cimex, Asellus, in colem indunt

dūtur, qui ſcalptu, pruritu & titillatione, uim expellentem laceſſant. Bibitur *aqua* Melonum, Cucurbitæ, Halicacabi: Balneo *æger inſidet.* Remedia *cætera, quæ nos alibi ſcriptis mādauimus, teſtātur, niſi febris obſtiterit.* Aluus *ſi profluit idq; per* Criſeis *accidat, minimè cohibēda eſt, niſi diuturniore, ac effreni purgatione, uires minuātur.* Aliâs *uerò ut in curatiōe* διαῤῥοίας, λειεντερίας, & δυσεντερίας, *nos docuimus, retinenda, & aſtringenda.* Qui *lumbrici noſtris in corporibus gignūtur, bilis ac calentiū humorū acrimonia & amarore fugati, repūt in os uentriculi, et* Cardialgias *inferunt.* Eos *nos prius occidimus, deinde per aluū decutimus, ne ſi diutius in uentre reſtiterint, uenenato ſpiritu, cor afflēnt, et uerberēt.* Necātur *ij ſi febris eſt, & in pueris, ſeminis* Abſynthij, Santonici, *horas quatuor, & 20. in* Aceto *macerati, dra. 1. & cochleari uno aquæ* Portulacæ. *In alijs* Synapi *trito &* Aceto, *diluto ſumpto per triduum cōdimēti uice:* Pilulis *cōmunibus*

eſu

esu alliorũ, si nec febris, nec æstas est: semine Citrij, farina Lupinorũ, ramẽtis cornu Cerui, succo Absynthij, Abrotoni, Centaurij minoris. Quidã Mellis fauum in aqua Portulacæ, Graminis, & Absynthij decoquunt cum semine Citrij, Santonici, Aloe, Absynthijq; succo, & decoctum bibendũ dãt, præsertim, cũ nulla febris est. Enecti hoc Clystere deturbãtur. Re. foliorũ Persicæ, Absynthij, Abrotoni, Cẽtaurij minoris, ana m. 1. Lupinorũ, un. 1. seminis Citrij, et Sãtonici, añ. dr. 1. nucleorũ Persicorum, unc. ß. fiat decoctio, in colatura dissolue Hieræ Picræ, un. 1. olei Amygdalarũ amararũ, un. 2. fiat clyster. Paulo mitior, Clyster in febribus ad hunc modum edicitur. Rec. Ordei p. 2. seminis Citrij, & Sãtonici, pulueris, cõtra uermes, Malicorij, Balaustij, añ. un. 1. fiat decoctio, in qua misce succi Aizoi minoris seu uermicularis, succi foliorum Mali Persicæ, añ un. 1. ß. pulueris seminis Citri, Aloes, Tormentillæ añ. dr. 1. fellis tauri, un. 1. fiat Clyster. Oblinun

linuntur uenter, & uentriculus, hoc unguento. Rec. farinæ Ordei, pulueris Coriandri, Aloes, Tormentillæ, Colocynthidis, ana unc.ß. fellis Tauri, unc.1. succi Absynthij, foliorum Abrotoni, & Mali Persicæ, ana un.ß. olei Amygdalarum amararum, drac.6. fiat unguentum. Prodest, & quod sequitur, Reci. pulueris contra, sem. Santonici, Citrij, nucleorum Cerasorum, & Persicorum, ana unc.ß. cornu Cerui, usti, Lupinorum ana dra.3. Tormentillæ, dra.2. radicis Tunici, dr.1. ramentorum cornu Monocerotis, scru.4. Sacchari Rosacei, quod sufficiat, fiat puluisculus: detur drachma una cum ouo sorbili, aut iusculis. Parantur Cataplasmata, è folijs Mali Persicæ, nucleis Persicorum, folijs Absynthij, & Abrotoni, paneq; tosto, & in Aceto macerato, ac uentriculo imponuntur. Puluisculi descripti proximè unc. una coquitur in aquis Portulacæ, graminis, Absynthij, bibitur decoctum horis quatuor, anteaquā prandeatur. Victus imperandus, qua nulla Pit

duabus immersis, decocto Chamæmeli, Meliloti, florũ Libanotidis, Stœchadis, ac Rosarũ obditis alis, & crebrò immutatis, sudore donec affluant. Cibus esto Gallinæ iusculũ, in quo decoxeris. 4. semina frigida maiora, cũ Omphacio, Cucurbitæ, & Oxalidis, succoq́; Croci paululo, maximè si animi deliquiũ, uel tremor cordis immineat uideatur. Quibus cor palpitauit, eorũ iuscula, uel diamargariti frigidi puluisculo, uel Triasantali præter superiora condienda sunt. His & exhibere licet Malum Pyrũ, Cydonium, cocta sub prunis: crura, uel extremas alas Gallinæ, quas arrodãt, è uiridi cõdimẽto, quod accipit Omphaciũ, succos Oxalidis, Leimonij, Arãcij, Punici, cũ Cinamomi tantillo. Nihil in cœnam carnis offeratur. Aeger cõtentus esto aut Lactuca, & Oxalide, uel cocta uel cruda, ex Aceto: aut glatiato iusculo, offáq́; una, aut altera, eo madida: aut erosis Gallinæ cruribus, & summis alis, cũ panis tribus quatuórue bucceis, intinctis superiore cõdiment

dimento. Animi si defectus impendet, uel æger tabescit eius desiderio, uinum sed bonũ, odoratũ, lene, ualde dilutũ, in prandiũ bibatur, præsertim à quinto die, aut si crisis quæpiam antegressa est: nullũ in cœnã, nisi magna necessitas obuenerit, idq; quàm matutino dilutius. Manus, facies, os sæpius lauentur, aqua Rosarũ, & Aceto, uel sola posca, præterquam, Crisim natura cum molitur. Abluãtur quoq; pedes, ac crura, decocto tepido, Ros. Chamæmeli, Salicis, uitis, inani uentriculo: quoniã hac lotione, & somno ægri cõquiescunt, & sudore manãt. Vbi lauerint, ne perfrigeãt operiẽdi sunt, ac molliter in lectulo reponendi. Criticis diebus, aut Criticorũ nũcijs, quales sunt tertius, quintus, septimus natura sudorẽ si nõ effundat, uel si pigrius ac remissius effundere nitãtur, auxiliũ medicũ adiungendũ fuerit, sudorq; medicamentis exciendus. Tertio quidẽ die, si prorsus natura cesset, Crisimq; nullam ipsa suscipiat, uiribus nõ ualde afflictis, ægroq; sat

patienter malũ ferente, quintus expectandus est, Et quia tum medicus progressum morbi, ac naturã uidet apertius, Et quia è cælestiũ signorum, ac syderum conuersione, traiectiõe, ambitu, Criseos nulla tertio die penitus occasio est. Etenim Luna cum in proximũ signũ trãscurrit, exẽpli causa, in Taurũ ex Ariete, nullus inter ea signa, prospectus est, nulla uis eiusmodi qualis ex astrorũ collocatione, dispositione, contuitu, ad nos pertinet: quamuis altera, uel utraq; qualitate, ea dissideant, ut Aries à Tauro, Taurus à Geminis. Sin die tertio, circiter meridiem, facies rubet, undosæ au plenæ micant arteriæ, nonnihilq́; sudatur. quæ omnia gliscentem sudorem, & appropinquantem significant, tum eliciendus is est magnis spongijs duabus, imbutis decocto florum Chamæmeli, Meliloti, Rosmarini, Stœchados, Hyssopi, Calamẽti, Origani, Polij, singulo. Manipulorum trium. Exprimũtur eæ, & ut calent dorso pectoriq́; admouentur. Ea Crisis quam tertio

die natura incœperat, ut dictum proxime fuit, pro bilis fit iactatiõe, quæ tertio quoq; die concitatur, potiusquam syderũ impulsu. Quinto die nihil si natura mouerit, ac eadem omnia fuerint, quæ in tertio nos antea designauimus, nempe & tolerantia ægri facilis, & constans uirium firmitas, in septimum diem spes est sustinenda, Si uero quinto, ignauius, ac tardius, ipso desinẽte die, natura paululum sudoris extundat, adiuuanda prorsus ea fuerit, quo pacto in tertio nos præcepimus, Et *quia naturæ conatus imbecillior hoc efflagitat:* Et *quia diebus imparibus acuti morbi, plane recrudescunt, ac ingrauescunt, tametsi quinti diei principio,* Luna *ad id signum adeat, quod sextili conspectu nonnihil beneuolo ac familiari, signum in quo primum morbus aßilijt contuetur.* N*isi uero placet morbum esse tum importuniorem, quòd ea signa qualitatibus pugnent inter se, ac dissentiant, præsertim ijs quas paßiuas nuncupamus. Septimo die,*

si ut & superioribus fatiscat, lãgueat, torpeat naturæ uis, ei subsidio ueniendum: qua ratione antea nos exposuimus. Hoc meum consilium fuit, hæc mea prouidentia, in continua febre Cardinalis Albani, cuius prosperrimus successus, & uota mea & spem ita me dij ament, longe uicit. Die septimo si quid concoctionis iam ostenditur, non potest non fructuosa, & utilis esse opera medici, qui sudorem prouocat. Naturæ enim uel intentæ iam operi se præbet adiutorẽ, uel si prorsus iners, ac deses munus suũ defugit, illã ut officiũ exequatur stimulat. Præterea, septimo die Luna eius signi spacia peragrat, quod nõ solũ qualitatibus actiuis, & paßiuis: uel si nõ utrisq;, saltẽ actiuis: quæ dissensio maior est, & acerbior: sed etiam loco atque situ primo aduersarium sit: idq; aspectu quarto, odioso, maleuolo, & infenso prospiciat. Ex his scilicet rationibus, diligẽs, & callidus rerũ æstimator medicus, quãdo grauior aut leuior, quando lætior, aut

tristior, quando celerior, aut serior, Crisis futura est, si hæc omnia secum deputet ac reuoluat, cogitatione anticipauerit. Hisce febribus, ut multis in locis antehac diximus, tremor cordis interuenire solitus est. Is uidelicet cordis, est quasi titubatio, ac uacillatio, seu tremula cōcußio. Hāc efficit quicquid cor lædit, offendit, ac debilitat, eiusq; actionē interrūpit, ac intertur-bat: idq; uel suo ipsiusmalo, ut et Græci loquuntur ἰδίως: uel διὰ συμπαθείας, si cum aliarum partiū malis afficitur, atq; uiolatur, quod in his febribus accidit. Vnà enim cū totius corporis ualetudine p febres pestilētes, sicut Aui. prodidit, hæret in corde hæc iniuria. Malū hoc, uel cauemus, et depellimus, uel sanamus, & sedamus nō tantū edomita febre, sed & insuper Cardiacis, Epithematibus, odoribus instaurantibus. Quocirca uel odorādū ppetuo quidquā est, ex ijs quæ supra memorauimus, uel urēdū, ac cremādū, ut eius uapore cubiculū et ædes suffiātur. Ad tremorē è qua-

uis caussa, hoc remediũ quod in Rasis cõtinẽte legitur, singulare, ac efficax est. Re. *Spodij drac.*2.*omnium Santalorum, ana dra.*1.*Rosarum dr.*6.*Caphuræ scru.*1.*Coriandi, dra.*3.*florum Buglossi, dra.*2.*seminis Oxalidis, Citrij, Portulacæ, cucurbitæ, Ocymi, Melissophylli, foliorũ Sampsuci, ana dra.*1.*Succini, Margaritarum, Serici, crudi, Xyloaloes, añ, dra.ß. Myrobalanorũ, flauarũ unc.ß. lapidis Lazuli, drac.*1.*baccarũ, Oxyacanthes, dra.*2.*Boli Armeniæ, terræ Lemniæ, ana. dra.*2.*Coralli rub. Maceris, Caryophyllorum, Spicæ Nardi, añ. dra.*1.*Hæc omnia terantur in puluisculum, ê quo dato dra.*1.*cum iusculis, Rosacea aqua uel Buglossi: succo Cydoniorũ, Punicorũ Buglossi: Aut in globulos formentur, qui post inaurẽtur. Porro autẽ ut cor in ijs febribus intremiscit, sic & animus delinquit societate & cõmunione quã habet cũ reliquis membris, uexato corde, ac spiritu, ob uapores uenenatos, toto genere infestos, ex uniuerso corpore in ipsum cõ*

spiran

ſpirantes:ut & uel cœli, & aëris graui=
tate, ac peſtilentia,uel proiecti cadaueris
fœtore:uel cauſſa interiore,qualis eſt lum
bricorũ in ſtomachũ irruptio, halituſq;
uenenati acceſſus,quem tubercula per ar-
terias in cor extulerũt ac ſubdiderunt. Cu
ratur hoc malum ſublata cauſſa odoribus
frigidis, lotis manibus. Poſca, ore conſper
ſo Roſacea, Caphurata: & ſi æger recu-
bet in lintheis lineis, Roſis & Moſcho fra
grantibus:id enim ſpiritus reſocillat Su=
mitur crebrius puluiſculus Diamarg. fri=
gidi, & electuarij de gemmis, è Roſacea
Saccharata. Bibitur uinum craßius, &
nonnihil aſperum, ualde dilutum cum cibi
quod ſatis eſt sũpſerit. Sorbetur aqua car
nis cõdita Santalis, Moſcho, Caryophyll.
Cinamomo, Macere. Panis turunda ſucco
Punicorũ & Roſacea Moſchata imbuta,
exugitur. Adhibẽtur omnia cætera, quibus
animũ colligi, & cor exhilarari ſupra di
ximus. Harũ quoq; febrium Symptomata
ſunt, & Aſthma, & Pleuritis, quã Philo=

Rosmarini,madefactæ imponũtur. Pãnis rubris æger uel coccineis inuoluitur. Spiraculis,quibus pertusa cutis est recludendis,loco tepido,sic cõmorandum, ut nusquã uentus aspiret,nusquã frigidior illabatur,quoad prauus humor totus,quod fere triduo fit,in Exanthemata cõsumptus sit, quo tẽporis interuallo,nec frigida manus lauandæ,nec Aceto:nec aliud quidquã nisi tepens sumẽdũ,sicut & decretorio quouis die,nihil extrinsecus admouendum,nihil intrinsecus sumendũ quod tepefactum nõ sit. Frigidis enim crassescit humor,qui solet in sudores liquescere,actioq; naturæ sic interpellatur, quamuis iuuenibus torosis,robustis,ualẽtibus,carnosis, aquam bibere consuefactis,eamq; postulantibus ac expetentibus,ijs ipsis diebus nuper exceptis,frigidã potare concedamus, quod tamen non nisi magno iudicio, cautioneq; diligenti,& accurata indulgẽdum est. Intercidunt & his febribus παραφρενίτις,λήθαργος, κάρος, defluxio,uel κατάῤῥους,

*quibus auxiliamur, humoribus ualido cly-
stere deorsum præcipitatis, & abstractis,
uel glandibus uehementioribus,* è Sapone
solido, & Sale *fossitio: frictionibus & re-
ligationibus artuum: lotis cruribus, deco-
cto* Rosarũ, Meliloti, Chamæmeli: *impo-
sitis uirorũ testibus, fœminarũ mammis,
sed circũspectè, ac* prudenter, *quæ & re
ipsa & potestate frigida sint, quale hoc
est.* Rec. *succi* Solani, Sẽperuiui, Hyoscya-
mi, Aceti, *añ. unc.* ß. Croci, opij *añ. dr.* 1. *fiat
unguẽtũ cũ oleo* Mãdragorino. Coma *tõ-
detur: detõsũ caput lauatur, & irrigatur
decocto* Rosarũ, *foliorum* Salicis, Ordei,
Glaucij, *calycũ* Papaueris, *florũ uiolæ, ac*
Nymphææ. *additis in morbi uigore,* Cha-
mæmeli p. 3. Peruigilibus *somnus cõcilia-
tur, puluisculo seminis* Papaueris *immisso
iusculis: aut illitis naribus, hoc unguẽt.* Re.
olei Rosati, *uiolati,* è Nymphæa, & Man-
dragora, ana. unci. 1. Opij *scrup.* 1. *misce,
fiat unguentũ, ungitur & frons unguento*
Populeo, *cum Aceto* Rosaceo. Hanc con-

fectio

fectionem æger odorator. Reci. Opij dra. 1. Croci scrup. ß. Rosarũ, uiolarum Nymphææ, omnium Santalorum, ana. dra. 1. terantur in puluisculum, quem uel lintheolo illigatum, uel mucco Tragacanthi exceptum, & in globum figuratum æger sæpius olfaciat. Per morbi uigorem Veruecis, Arietis, ouis pulmo, ut è pecude mactata, & dilaniata calens auulsus est, fronti & syncipiti admouetur. Lauatur caput decocto Rosarum, Meliloti, Chamæmeli, Stœchados, & Rosmarini, ana. p. 3. Aeger ueste, ac stragulis probe contegendus & contra frigiditatem aëris muniendus, ne uenenatus uapor, animæ frigidioris occursu intro ad cor refugiat. frigidis quæ supra nos recensuimus, in defluxionibus, ac Catarrhis nõ temere audacterq; sõnus captãdus est. In Synanche, quæ has febres consequitur, hoc decocto, per initia, fauces colluuntur. Rec. Balaustiorũ, acaciæ, Hypocystidos, Gallarũ, malicorij, añ. un. 1. cũ morbus increscit, caricarũ, passarũ añ.

unc.

unc.1.ß. Ordei.p.4.fiat decoctum. reliqua petenda sunt è nostro libro de curandis morbis.cap.de Synăche. Coli & eilei cruciatus, qui nõnunquam has febres comittãtur, Clysteribus, glandibus, Cataplasmatibus impositis uentri, sacculis semine Lini, uel furfure impletis, & tepida maceratis, nisi febris hăc impediat curationẽ, mulcentur, ut & in libro nostro de curădis morbis, latius nos persequuti fuimus. In Sopore, uel Caro, obrutos nos sõno, ægros expergefacimus, & remedijs supra cõmemoratis, et Aceti olfactu, & uoluptate αὐλῦτυ Citharistæ, Tibicinis, Musicorũ, qui placidius & suauius cõcinãt: & fabularum ac historiarũ narratione, quarũ expositio ægro iucunda sit. In Străguria quæ per has febres cõtingit, decocto Meliloti, Chamæmeli, Maluæ, Althææ, Rosarũ, florũ Stœcadis, & Rosmarini, fouentur pecten, sumen, aqualiculus, perinæõ, pubes. Decocti magma cũ lintheolo ijsdẽ partibus admouetur. Pulex, Cimex, Asellus, in colem indunt

dūtur, qui ſcalptu, pruritu & titillatione, uim expellentem laceſſant. Bibitur aqua Melonum, Cucurbitæ, Halicacabi: Balneo æger inſidet. Remedia cætera, quæ nos alibi ſcriptis mādauimus, teſtātur, niſi febris obſtiterit. Aluus ſi profluit idq; per Criſeis accidat, minimè cohibēda eſt, niſi diuturniore, ac effreni purgatione, uires minuātur. Aliâs uerò ut in curatiōe διαῤῥοίας, λειεντερίας, & δυσεντερίας, nos docuimus, retinenda, & aſtringenda. Qui lumbrici noſtris in corporibus gignūtur, bilis ac calentiū humorū acrimonia & amarore fugati, repūt in os uentriculi, et Cardialgias inferunt. Eos nos prius occidimus, deinde per aluū decutimus, ne ſi diutius in uentre reſtiterint, uenenato ſpiritu, cor afflēt, et uerberēt. Necātur ij ſi febris eſt, & in pueris, ſeminis Abſynthij, Santonici, horas quatuor, & 20. in Aceto macerati, dra. 1. & cochleari uno aquæ Portulacæ. In alijs Synapi trito & Aceto, diluto ſumpto per triduum cōdimēti uice: Pilulis cōmunibus

eſu

esu alliorũ, si nec febris, nec æstas est: semine Citrij, farina Lupinorũ, ramẽtis cornu Cerui, succo Absynthij, Abrotoni, Centaurij minoris. Quidã Mellis fauum in aqua Portulacæ, Graminis, & Absynthij decoquunt cum semine Citrij, Santonici, Aloe, Absynthijq́; succo, & decoctum bibendũ dãt, præsertim, cũ nulla febris est. Enecti hoc Clystere deturbãtur. Re. foliorũ Persicæ, Absynthij, Abrotoni, Cẽtaurij minoris, ana m. j. Lupinorũ, un. j. seminis Citrij, et Sãtonici, añ. dr. j. nucleorũ Persicorum, unc. ß. fiat decoctio, in colatura dissolue Hieræ Picræ, un. j. olei Amygdalarũ amararũ, un. 2. fiat clyster. Paulo mitior, Clyster in febribus ad hunc modum edicitur. Rec. Ordei p. 2. seminis Citrij, & Sãtonici, pulueris, cõtra uermes, Malicorij, Balaustij, añ. un. j. fiat decoctio, in qua misce succi Aizoi minoris seu uermicularis, succi foliorum Mali Persicæ, añ un. j. ß. pulueris seminis Citri, Aloes, Tormentillæ añ. dr. j. fellis tauri, un. j. fiat Clyster. Oblinun

linuntur uenter, & uentriculus, hoc unguento. Rec. *farinæ* Ordei, *pulueris* Coriandri, Aloes, T*ormentillæ*, *Colocynthidis*, *ana unc.ß.fellis* Tauri, *unc.i.succi* Absynthij, *foliorum* Abrotoni, & Mali Persicæ, *ana un.ß.olei* Amygdalarum *amararum*, *drac.6.fiat unguentum.* Prodest, & *quod sequitur*, Reci. *pulueris contra, sem.* Santonici, Citrij, *nucleorum* Cerasorum, & Persicorum, *ana unc.ß.cornu* Cerui, *usti*, Lupinorum *ana dra.3.* Tormentillæ, *dra.2.radicis* Tunici, *dr.1.ramentorum cornu* Monocerotis, *scru.4.*Sacchari Rosacei, *quod sufficiat, fiat puluisculus: detur drachma una cum ouo sorbili, aut iusculis.* Parantur Cataplasmata, *è folijs* Mali Persicæ, *nucleis* Persicorum, *folijs* Absynthij, & Abrotoni, *paneq; tosto, & in* Aceto *macerato, ac uentriculo imponuntur.* Puluisculi *descripti proximè unc. una coquitur in aquis* Portulacæ, *graminis*, Absynthij, *bibitur decoctum horis quatuor, anteaquã prandeatur.* Victus *imperandus, qua nulla* Pit

la Pituita coaceruetur, calidus & ſiccus. Hactenus quæ ad rationem & curationem, morborum omnium peſtilentium inquirendam, & explanandam pertinent, tractata ſunto.

FINIS.

ERRATA ALIQVOT

ITA CASTIGANDA,

Pagina 67. linea 8. lege feriantur. 78. 4. afficitur. 86.15. atque piſcibus. 131.17. multis.138.19. fœdat. 150.15. anteeunt. 154.5. Cardiaca. 157.15. quem.

